

MEZA, S. T. de
C

SALOMONIS THEOPH.
DE MEZA

MED. DOCT. POLYATR. HAFNIENSIS

COMPENDIVM MEDICVM PRACTICVM

PER

FASCICVLOS DISTRIBVTVM.

VOL. I.

TRES FASCICVLOS. Sc.

I. DE FEBRIBVS.

II. DE INFLAMMATIONIBVS ET DOLORIBVS.

III. DE DEBILITATIBVS ET HALLVCINATIONIBVS CONTINENS.

HAFNIAE,


APVD CHRIST. GOTTL. PROFT.

BIBLIOPOLAM VNIVERSITATIS.

1780.

ELENCHVS CAPITVM.

+ Fasciculus tertius



COM-

COMPENDIUM MEDICUM PRACTICUM

PER

FASCICULOS DISTRIBUTUM

FASCICULUS PRIMUS


DE

FEBRIBUS

AUTORE

SALOMONE THEOPH. DE MEZA,

MEDICINAE DOCTORE ET POLIATRO HAFNIENSI SOCIETATIS MEDICAE HAFNIENSIS MEMBRO ORDINARIO.



HAVNIAE,

APUD CHRIST. GOTTL. PROFT.

BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.

1779.



Lectori Autor.

Si tutum, etiamſi quis optima quaeque curet, ſe ab omni invidia liberum credere poſſet, nulla egeret excuſatione, nullaque Apologia Operum editio apud bonos. Placet autem afferre rationes, quae me ad hujus operis compoſitionem incitarunt. Otium nempe a praxi liberum noctibus longioribus

agere velle non in theatris frequentandis, aut in montibus aureis complanandis tesserarum vel chartularum lusoriarum ope; nec in consectandis Magnatum circulis, aut in quaerendo cum parasitis sodalitio apud LUCULLOS & APITIOS. Mihi enim ipsi sufficiens & ad naturae normam paucis contentus PLATONICAM coeno coenam cum DIOGENE ad stomachi, non cum ARISTOTELE ad ALEXANDRI nutum; nec in gratia divitum assentatiunculis captanda cum HORATIO dicens:

Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus;
Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis nil
Divitiae poterunt regales addere majus.

sed

ſed in hominum utilitate praeſtanda, in dextramque tironibus ſtudioſisque porrigenda. Licet autem vero celeberrimi quidam viri non pauci doctiſſime de univerſa medicina practica diſſeruerint, mira tamen & infinita diſcrepantia quo ad morborum theoriam, quae nihil ad me, & quo ad ordinem & methodum tradendi morborum hiſtorias adeſt; hic praeterea illam, alius aliam omiſit ſpeciem. Tertius iterum morborum cohortem quam maxime auxit, ſic ut parum emolumenti Lectori ſtudioſo capere liceat; recte autem SENECA: „Multa egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non „peregerunt, multumque adhuc reſtat operis, „multum reſtabit, nec ulli nato poſt multa „ſecula praecidetur occaſio aliquid adhuc ad„jiciendi." Inde enim tot audiuntur quaere-

lae, quibus Medicinae cultores & artis ſtudioſi minus ſibi ſatisfieri contendunt ab iis, qui de praxi clinica ſcripſere ſeu de methodo morborum medendorum. Egomet ipſe fateor, cum ſtudiis academicis valedicerem rudeque donarer autoribusque legendis totus me traderem, de me ipſo & capacitate mea dubitabam, dum lecta animo meo parum admodum ſatisfaciebant, cogitabam autem me autoris ſenſa non ſatis comprehendere. Iterum mihi perſuadebam, culpam in me ſolo non haerere, quod tantam in ſcriptis obſcuritatem invenirem, ſed potius illis aliquid ineſſe veritati incongruum. Unde unacum aliis deſiderabam, ut vel tandem aliquis exoriretur, qui rem omnem dilucide expediret, ac regulas ſeu leges practicas firmis argumentis ab experien-

tia

tia desumptis confirmatas demonstraret, & consequenter fidele aliquod *Compendium practicum* suppeditaret, quo tanquam Ariadneo filo artis Labyrinthos expedire liceret. Sed fefellit me hucusque spes. Interea omnem curam atque operam dedi, ut observarem, quae circa aegrotos fiunt, unde vel tandem exploratum habere coeperam, qua de causa omnia de praxi medica autorum praecedentium scripta tot obscuritatum & contradictionum nebulis involuta sint, ut Tyro Medicus dubius haereat, quo se vertat nescius inter tot practicorum sententias sibi invicem toto coelo oppositas: quod enim Hippocrates ait, Galenus negat. Ea de causa semotis autorum scriptis, mediante accuratissima observatione, data quavis ansa singulis rebus dignoscendis

 omne

omne posui studium, & chartis visa mandavi, ut commentaria demum insurgerent de singulis, quae ad praxin pertinent, mei solius usui, eo consilio, ut, si quid ex observatis animo excideret, possem ex scripto tanquam ex promptuario recolligere. Nunc autem ad senium vergens, ea, quae mihi suppetit annosa praxis, sincero animo publici juris facere placet. In animo erat, ideam universae Medicinae practicae ad normam *Synopseos* ALBERTI ALLEN in XVI. Fasciculos distributam edere, sed mutata sententia dein fasciculos singulos seorsim do, & primo de febribus, quem, si Deus largiatur vitam & sanitatem, excipiet alter de inflammationibus & sic porro. Praesertim cum bibliopola ob nundinas festinaret, dum & praeterea propter negotia practica vix mihi

relin-

relinqueretur otium hiſce omnibus ſimul & ſemel colligendis, corrigendisve, quae ſparſim raptimque compoſueram. Opus non eſt oſcitanter in muſeo excogitatum, nec ex lectione librorum tantum, quantum ex obſervationibus inventum & experientiis comprobatum. Obſervatio enim fundamentum experientiae: experientia artis baſis. Inde deduxit HIPPOCRATES practicas regulas, quas poſteris reliquit legum vice fungentes paucis equidem. Paucae vel nullae hic inveniuntur citationes, niſi in materia minus certa aut dubia adhuc, ubi authoritates quid valere credidi pro mea confirmanda opinione. Diſquiſitiones ſubtiles autem, hypotheſes vanas, ſpeculationes incertas dubiasve in theoriis cauſarum proximarum & remotarum, in ſymptomatum explicationibus

 &

& in indagando modum remediorum operandorum, nullas invenies quoque, utpote remorantes potius quam promoventes ſtudium medicum practicum. Tritum enim eſt: *qui ſpeculantur non medentur.* „Ars enim inquit „BAGLIVIUS ex rebus penitus perſpectis plane„que cognitis, atque ab opinionis arbitrio ſe„junctis praeceptionibus conſtat.“ Ratiocinium ergo obſervationibus in Medicina ſubjiciendum, non autem obſervatio ratiociniis accommodanda. Artem experientia facit exemplo monſtrante viam. Longarum obſervationum praeſidio Medicus inſtructus cum attenta librorum lectione certam tutamque methodum acquirit & in dignoſcendis & in curandis morbis. Parens Medicinae HIPPOCRATES naturae ductu ad ſummum artis faſtigium

ſtigium pervenit, quem nemo inter antiquos excedit, nemoque par inter recentiores fuit. In ipſo hoc *Compendio* autem breviter atqui non obſcure, neque prolixe aut multis ambagibus annotantur varia genera morborum, quibus caduca fabrica humanaque fragilitas affligitur, veraeque origines & genuinae cauſae, morborum ſymptoma & congrua iisdem emendandis & amovendis praeſidia. Pauca quidem ſed ſelectiora opportuno tempore convenientique ordine adminiſtranda paucitatem ſelectiſſimorum remediorum multitudini & farragini eorundem praeferendam eſſe, omnes vere docti aſſerunt. *Compendium* inſcribere placuit utpote breviſſimos tantum canones continens ſine ulla rei explicatione neque ſemper ſibi invicem cohaerentes. Varia & vera

vera axiomata practica annosioribus exercitatisque nota quidem & vulgaria neque illis autem scripta, satis erit annuant & conamina probent nutu.

Primum hunc fasciculum quod attinet, in eo agitur de febrium tota cohorte, de praecipuis harum symptomatibus, de remediis contra easdem heroicis praeter varia utilia scituque digna hic pertinentia apud multos scriptores desiderata. Addidi demum formulas medicamentorum mihi in praxi maxime usuales decumana experientia comprobatas; non quod autor suasorque sim iis caeci inhaereant, nec citra ullum examen dictis tanquam evangeliis adhibeatur fides, sed ut sciant, me non multis sed optimis usum esse.

Non

Non enim copia medicamentorum aegros obruendum, nec quadrata rotundis, ut dicitur, miſcendo ineptas formulas conſcribendum, ne deriſui aut deſpectui pharmacopolae maneat Neodoctor, qui prae indigeſta remediorum mole in variis ſcriptis repertorum neſcit, quid eligendum quidve vitandum.

Limatius cultiusque potuiſſet fieri opusculum, ſi licuiſſet per otium. Sed ad CELSU MProvoco, morbos non eloquentia ſed remediis curari. Ad SENECAE etiam confugio effatum: non quaerit aeger medicum eloquentem ſed ſanantem. Quodſi HORATIUS in Arte Metrica

Dat veniam maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura

certus

certus ſum in tanta rerum difficultate, Lectorem benevolum connivere. Accipe autem Lector ſcriptum quo licenter audaxque numerum tractatuum practicorum auxi, &, an in Tironum commodum valeant, quae in novum congeſſi ordinem, judica; & ſi forſan, iis utere & vale; ſin minus, proba voluntatem ubi deſunt vires, & iterum vale.


Dabam in Muſeo ad 14 Decemb. 1778.



ELEN.

ELENCHUS CAPITUM.

Cap.



COM-



COMPENDIUM MEDICUM PRACTICUM

PER FASCICULOS DISTRIBUTUM.

FASCICULUS MORBORUM PRIMUS;

DE FEBRIBUS.

Cap. I.

DE FEBRIBUS IN GENERE.

§. 1.

Febris quia ipſa morbus, morbi ſaepiſſime ſymptoma, ſaepeque morbi effectus, frequentiſſime occurrit. Febris morbus in intermittentibus continuisque, ſymptoma in inflammationibus, effectus in fine quorundam chronicorum.

§. 2. Febris intermittens dicitur, ſi poſt aliquot horas ut plurimum cum ſudore terminatur,

A redi-

rediitque poſt intervallum plus minus longum, ſive quotidie, ſive alternis diebus, ſive quarto quovis die eandem ludens ſcenam. Si vero plena non ſequitur apyrexias, & ſymptomata tantum remittunt, iterumque periodice exacerbantur, remittens eſt febris; ſi vero uno tenore per aliquot dies hebdomadasve durat, continua audit febris.

§. 3. Febris continua quae intra 11^{mum} 15. 17. 21^{mum} diem terminatur, aucta dicitur, eſtque benigna, ſi ſymptomata mitiora, functionesque vitales non admodum læſae, cerebrumque ſanum: maligna, ſi ſymptomata vehementiora, functiones vitales languidae admodum, mensque alienata continuo.

§. 4. Sunt ergo Ephemera, ephemera protracta ſeu plurium dierum, ſynochos non putrida, ſynochos putrida, ſynochos Cauſus ſeu febris Ardens, inflammatoriae omnes, de quibus altero faſciculo. Febres Eruptivae, eryſipelacea, ſc. Scarlatina, Petechialis, milliaris, morbiloſa, varioloſa, purpuralis, de quibus omnibus autem primo hoc faſciculo ſeorſim.

§. 5. Febris praeſentiam arguit aegritudo inſolida, vix ab aegris explicanda: pulſus naturali frequentior, nec refert num calor num frigus adſit, nemo enim inficias ibit, in frigore intermittentium febrium adeſſe in quibusdam, infantibus praecipue, reſpiratio citatior & manuum tremor.

§. 6.

§. 6. Pulſus ut ſignum, diverſus eſt in diverſis pro varietate aetatis, temperamenti, ipſiusque febris genio; in infantibus pulſus ut plurimum frequens numeri ratione, celerque ictuum modo: diſtinctio in praxi non prorſus negligenda, in plethoricis eſt frequens & magnus; in inflammationibus ut plurimum durities quoque adeſt: in putridis & lentis nervoſisve parvus eſt cum frequentia.

§. 7. Febris omnis frequentiſſime adoritur horripilatione, pandiculatione, dolore dorſi artuumve horrore vel frigore quae excipit calor, non raro tamen calor absque frigore praegreſſo oritur: quod praecipue fit in acceſſionibus hecticis ſeu amphimerinis, in algidis calor abeſt. Frigus & tremor in intermittentibus plerumque magis infeſtant quam in continuis; calor in ardentibus major intenſiorve; in lentis mitior, in hecticis vix naturalem excedens. Gradus caloris non ſemper gradui frigoris praegreſſi reſpondet.

§. 8. Appetitus proſtratio, capitis dolor, ſitisque ſymptomata ſunt a febri ſeparabilia, neque enim ſemper aut in omni febri aeque adſunt; Nauſea & vomitus ingruente febri ſubinde adeſt; primarum viarum ſtatum ſordidum indicans vel eruptionem futuram: aptis autem remediis ſordium expulſione facta, vel eruptione critica variolofa puta, oborta, evaneſcit. Diarrhoea quoque hisce neglectis, etiamque critica in febribus putridis praeſentim fit. Agrypniae, deliria, con-

vulſiones non niſi in decurſu febrium mali moris obſervantur, ſyſtema nervoſum magis afficientium, propria tamen idyoſencraſia quidam leviter admodum febricitantes ſaepe delirant, virium ſumma proſtratio in malignis & nervoſis ab initio ſtatim, anxietates & pectoris oppreſſiones eruptivis propria.

§. 9. Urina ſanorum ſimillima & naturalis fere, ſi non in ephemera mali ominis, ut obſervant practici in quibusdam malignis, clara limpida, ſtraminea in nervoſis delirium praeſagit, turbida, jumentoſa in putridis apparet. Lateritia in intermittentibus, remittentibus & larvatis, plerumque ſub finem paroxysmorum vel ſub ſymptomatum remiſſionem emittitur, in ardentibus & inflammatoriis rubra, in lentis chronicis aut hecticis cuticula pinguedinoſa & oleaginoſa ſupernatat.

§. 10. De cauſa proxima febrium multum diſputatur inter autores, nec noſtrum eſt tantas componere lites: latetque adhuc forſanque ſemper latebit in Democriti puteo: ſophiſtica enim ac vana eſt ſpeculatio, quidquid ultra limites ſanguinis phlogiſtici vel ejusdem putredinis aſcendit: quae quidem duo ſibi oppoſita in una eademque febri, ſc. in febribus putridis ſic dictis obſervari quidam credunt, dum ſaepe in his inflammatio adeſt topica. Obiter quoque notari meretur ſanguinem cruſta phlogiſtica obductum, non ſemper inflammationis eſſe ſignum, neque ſemper per ſanguinem

guinem inflammatorium inflammationis praesentiam argui. Causa ergo essentialis consistit in sanguinis motu intestino & progressivo aucto.

§. 11. Causae remotiores in aëre, in ciborum quantitate nimia vel minima, qualitate noxia; in exercitio corporis nimio vel nullo, in somno potiusve vigiliis excedentibus: in exernendis, retentis & retinendis excretis; in animique pathematibus quaerendae praeter corruptiones quasdam humorum, e miasmate cancroso, pure resorpto in phthisicis, lymphaque acriori in hydropicis, quarum causae in aere, facilius epidemicae, in caeteris potius sporadicæ fiunt. Vulnera etiam aliaque violentia externa inter causas febris occasionales numeranda, nec non acre mechanicum quodvis.

§. 12. Febris terminatur in perfectam sanitatem, in alium morbum aliamve febrim; sic continua saepe fit intermittens, vicissimque ex intermittente, continua; tandem morte desinit febris. Aliquando cessat febris nulla evacuatione sensibili subsequente, aliquando tamen sudore urinaeve sedimentosae profluvio, alvique fluxu, vomituve sponte critice obortis solvitur febris, nec non narium haemorrhagia & haemorrhoidum fluxu. Sudor vero in fine cujuscunque paroxysmi febris intermittentis non tollit febrim. De vomitu critico ut obiter dicam non constitit mihi unquam; interdum plures evacuationes criticae concurrunt simul, interdumque non juvantes; non raro meta-

 stases

ſtafes & translationes fiunt ad parotides, vel & alii fiunt effatu digni abceſſus.

§. 13. Febrim ſaepe ſanationis cauſam extitiſſe affirmant omnes Medici; in paralyſi profuiſſe aliquando laetus recondor. Rheumatismum febri comite citius quam ſine febri ſanari, non eſt quod dubitemus; febrim intermittentem variorum morborum inveteratorum remedium fuiſſe, varia praeſtant obſervata medica.

§. 14. Indicatio curatoria generalis in febribus eſt ſanguinem mittere in plethoricis, pulſuque magno, pleno vel duro exiſtente primis diebus, per venae ſectionem ſemel aut pluries inſtitutam pro re nata & ſymptomatum imminutione vel exacerbatione, in frigore febrili nunquam tamen inſtituenda raroque eidem locus in febribus lentis.

§. 15. Poſt venae ſectionem ubi indicata primas vias a ſordibus per vomitum, indicantibus nauſea, orisque amarore linguaque muco tecta, vel cognito cauſam in cibis copioſis vel noxiis quaerendam eſſe; vomitoria tamen caute danda in hernioſis, haemoptoicis, gravidis & ad apoplexiam diſpoſitis, uti & ubi inflammationis ſuſpicio. Solutio tartari emetici aquoſa No. I. retractis doſibus ſatis tutum praebet emeticum, atqui non ita certo per ſuperiora ac radix Braſilienſis operatur, ſaepiſſime enim alvum tantum movere compertum habeo, nec inde adeo levantur aegri in quibus vomitus indicatur, hic autem optime ſe praebet pulvis 2.

§. 16.

§. 16. Ubi vomitus non indicatur, vel & poſt vomitum, ſi eidem locus, laxans 3. exhibendum praeſertim ructibus & borborygmis torquentibus; dein alternis diebus ſaltem clysma 4. molle injiciendum. Si clysmatis injiciendi non datur opportunitas, ſive ex parte admittentis aut applicantis, optimum laxans praebet Aq. Laxat. Vienens. cochleatim exhibita donec effectus conſequitur deſideratus, vel pro pauperibus, quorum crumena impar prolixo apparatui medico, Lac ſulphuris ſive pulveribus 5 ſive mixturis temperantibus 6 additum, egregium praeſtet effectum in alvo ſine magno molimine ſolvenda. Cave tamen ne vel agyrtam vel ignorantem agas, peculiarem & olidiſſimum fœtorem, quem excrementa hoc medicamento aſſumpto ſpirant, morbi malignitati tribuens.

§. 17. Tum requiritur & animi corporis tranquillitas, aer in quo decumbit aeger ſit tepidus, potius ad frigus quam ad calorem vergens, corpusque tantum leviter tegatur. Experimentis Pringlianis in caſtris conſtat, aegroſos aeri frigido expoſitos facilius curari quam hi, qui caute anxieque nimis in cubiculis includuntur, prudens igitur feneſtrarum & januarum apertio, aeſtivo ſaltem tempore maxime neceſſaria.

§. 18. Remedia ſint ſalina acida nitroſa, potus ſit copioſus acidulatus, quotidie ſi poſſibile aeger e lecto eximendus per horae dimidium ſi vires ferant; in malignis putridis praeter laxantia repetita, commendantur acida mineralia camphora 7

cortex peruvianus, radix ſerpentaria virginiana, quorum formulas vid. No. 7. 8. ſinapismi 9. veſicantiaque praecipue ubi coma, delirium, vel ubi vis vitae deficit. Vinum jam ab HYPOCRATE laudatum non conducit ubi congeſtiones ad caput ruborque faciei. Diaeta ſit tenuis, abſtinentia rigoroſa veteribus probata, damnoſa.

CAP. II.

DE FEBRE EPHEMERA.

§. 19.

Febris non ultra 24 horas protenſa, ephemera, indicatoria (*Sagar*) audit, ſi ad duos tresve dies extenditur, ephemera protracta dici ſolet.

§. 20. Incipit cum levi admodum horrore, neque paegreſſa ulla laſſitudine ſed ſubito corripit, poſt errorem commiſſum in diaeta & aliis rebus ſic dictis non naturalibus, quod ſi non immediate & preſſo pede talem errorem ſequatur, ſed non niſi longo interpoſito tempore obrepat, ad continuas putridas referenda. Circa auroram invadere vult SAVVAGIUS; inſolita defatigatio, motu corporis & aeris calore immodico hanc producit febrem.

§. 21. Ab initio tamen non ita facile dignoſcitur, non enim ante paroxysmum finitum ſciri poteſt ad continuas non pertinere, & paroxysmo

mo neque altero neque tertio die revertente, ex intermittentium genere non fuiſſe conſtat.

§. 22. Symptomata lenia utique ſunt, calor tactui non moleſtus, pulſus magnus, mollis, urina naturalis, cocta; ſudore terminatur critico, uti & aliquando hoemorrhagia, capitis dolore praecipue in hac febri torquentur virgines dum ſub menſium fluxum ea ſaepiſſime afficiuntur; puerperis familiaris eſt, tertio a partu die vel tardius, diciturque febris lactea, non raro ſcenam ter ludit, minime vero confundenda cum febri puerperarum, quae ut plurimum inflammationem uteri habet comitem, de qua Angli plurimum noſtro ſcribunt tempore deque ea alias plura. Vulneratis quoque haud rara eſt ephemera.

§. 23. Corporis quies, potus largus, abſtinentia a cibis ſolidioribus, decubitus in lecto, ne eruptio ſudoris critici praepediatus, ut plurimum omnem perficiunt curam, non negandum tamen dari locum ſaepius venae ſectioni in plethoricis, laxanti vel & emetico ſi a crapula; temperantia in puerperis uti et in vulneratis quam maxime proſunt.



Cap. III.

DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS REGULARIBUS.

§. 24.

Febris intermittens ſimplex, regularis, benigna, ſtatis periodis recedit perfecta apyrexia & functionum integritate intermediis, iterumque ad certum redit tempus; ſi quotidie, quotidiana; ſi alternis diebus, tertiana; ſi tertio quoque die, ſc. binis apyretis interpoſitis, quartana audit. Typus irregularior vel & recidiva per errorem diaeteticum forſan commiſſum, ideam de quartanis, ſextanis, ſeptanis &c. quibusdam dedit practicis, raro enim admodum obſervantur legitimae & genuinae tales.

§. 25. Quotidiana pituitoſis, otioſis, frigidis, debilibus, ſenibus & pueris familiaris, hyeme & aere nubilo occurrere praecipue ſolent. Tertiana intermittentium frequentiſſima, bilioſis & calidis communis, aeſtati propria magis. Quartana autumni eſt ſoboles, ſenioribus haud inſolita.

§. 26. De cauſae eſſentialis & periodorum ratione infinitae extant hypotheſes, de quibus neque otium ſuppeditat, neque volupe eſt diſſerere: numque ea in primis viis, pancreate, meſenterio, liene, hepate, bile; in nervis arteriisve, in impedi-

taque

taque transſpiratione, Theoreticis quaerendum relinquimus.

§. 27. De occaſionalibus vero liquet, familiares eſſe & fere endemicas hominibus qui loca paludoſa & humida incolunt, ciboque duro, deſpeĉto & farinoſo crudo, piſcibus mollioribus plus aeque vescuntur, uti & qui fructibus aquoſis utuntur & aquas paluſtres bibunt.

§. 28. Febris intermittens ſaepe ſporadica, ſaepiſſime epidemica & jam a SYDENHAMO in vernalem, quae ſaepiſſime Februario erumpit menſe, & in autumnalem Auguſto prodeuntem dividitur, haec illa difficilior curatu.

§. 29. Initium per frigus ſummum & praecipue in quartanis, hocque frigoris gradu majori ſere a prima acceſſione, intermittentem a febribus licet diſtingui continuis, in quotidianis tamen frigus non adeo intenſum; intenſiusque iterum in iis, quae circa autumnum, quam quae circa ver fiunt. Solent vero ſaepiſſime & inprimis autumnales ut continuae adoriri, donec paulatim in perfectam abeant intermiſſionem, aliquando vero metus incidit ne reapſe continuae evadant & acceſſionum anticipationes, dum ſc. ſinguli paroxysmi duas tresve horas anticipant.

§. 30. Frigus autem pari paſſu cum artuum tremore procedere ſolet. Tremula eſt in primis maxilla inferior & dentes ſaepe magno cum ſtridore colliduntur. Tremores quotidianos ſine frigore aut calo-

calore insequentibus vidi olim, *cortice* feliciter sanavi.

§. 31. Frigus insequitur calor plus minus intensus, neque semper frigoris gradui respondens; in tertianis calor est intensior & subinde ad octodecim extenditur horas, singulique patoxysmi ut plurimum sudore terminantur, quem sequitur status apyrexiae plenariae, ita ut aeger commode valeat sanusque habeatur ad insequentem insultum: nisi quod nox accessionem antecedens non adeo pacata & tranquilla sit.

§. 32. Urina in frigoris tempore emittitur clara & limpida: in calore rubra: in fine paroxysmorum sedimentosa & lateritia saepissime.

§. 33. Febres intermittentes caeteris paribus, continuis minus periculosae sunt; in frigore ubi pulsus est exilissimus subinde syncope pereunt. Contigit mihi videre senem septuagenarium tertio quartanario paroxysmo sic periisse. Saepius existunt remedium aliorum morborum chronicorum. Summus Máthematicus DE LA HIRE, quartana liberabatur a molestissima cordis palpitatione & ad summam dein sanissimus vixit senectutem. Alii febri intermittente ab epilepsia, lepra, varicibus sanati sunt.

§. 34. Non conducit ergo febrim intermittentem statim curare velle, quin & constitit, nimis cito suppressam aut male curatam plurima mala abusive remediis tributa post se relinquisse; refractaria quoque post se trahit oedemata, ventris infimi obstru-

obſtructiones hydropesque. Maniam vidit SYDENHAMUS poſt quartanam, ego autem poſt tertianam dum patrios adhuc incolerem lares; icterus conſectarius febri tertianae ſubinde, criticum indeque febrim ſponte ſolutam vidi. Saepe recidivae fiunt intermittentes, victus ratione neglecta, nec ſatis diu febrifugis uſurpatis. Brevis durationis autem fore indicant ulcuscula circa labia, & puſtulae circa nares ſponte erumpentes; critica evacuatione, hæmorrhagia aut ſcabie ceſſiſſe uti perhibent nondum vidi. De metaſtaſi facta ad oculos, coecitatem abſolutam inducente, febri ante tempus *cortice* ſuppreſſa habui exemplum in ruſtico, cui ope ſalis armoniaci ad ʒß ſexies de die exhibitam, & viſum reſtitui & dein brevi febrim fugavi, cujus motus, reciprocis quamvis irregularibus acceſſionibus & poſt *corticis* uſum & poſt viſum amiſſum ſubinde ſentiebat. Vide ſis diſſertationem inauguralem filii dilectiſſimi, eheu morte praematura & mihi & omnibus bonis ſublati, quæ inſcribitur: *Animadverſiones Febrium intermittentium Therapeiam concernentes*. Butzowii ad 30 Junii 1777. ab ipſo autore publice defenſam.

§. 35. Quo apyrexias tempus longius eo facilius curatur febris; quo brevius eo difficilius; inde quotidiana cæteris paribus difficilior curatu quam tertiana; haec iterum difficilior quam quartana, quæ olim oprobrium dicebatur medicorum.

§. 36. Cura autem pro triplice ſtadio hujus febris variat, in frigore autem æger lecto committen-

mittendus, ſtragulisque modice tegendus in aere probe calido, bibatque potum tepidum vinoſum modica quantitate, non una vice aut ſemel & ſimul ſtomachus nimio potu replendus, anxietates nam inde augentur.

§. 37. In hoc ſtadie V. S. omnino damnatur, in calore autem quamvis per ſe numquam curat febrem intermittentem, ſine piaculo ommitti non poteſt, ſi capitis dolor magnus, ubi adeſt delirium, cum pulſu magno durore, nec non in iis, quibus febris intermittentis cauſa, in neglecta ſanguinis miſſione conſueta quaerenda, unica venae ſectioni curavi olim tertianarium, in quo febris allatae cauſae adſcribenda erat; ergo & in gravidis & in plethoricis ſubinde neceſſaria, in hisce autem neceſſitate minus urgente apyrexias tempore melius inſtituitur. Sudor in ultimo ſtadio optime ſuſtinetur potu aquoſo calido, leniter aromatico, infuſo ſc. Flor. chamomil. 62. vel ſimilium theae vulgaris in morem epoto.

§. 38. Venae ſectione praemiſſa, vel omiſſa ubi non neceſſaria, ſi nauſea, oris amaror, linguae ſortities, cacochylia, hypochondriorumve tenſio urgent. emeticum No. 1. 2. propinetur aliquot horis ante paroxysmum futurum: ſaepiſſime alio non uſus ſum remedio in curandis febribus intermittentibus, ſporadicis ſaltem, imo fruſtra aliis & quidem ſatis diu cortice peruviano tentatis, poſt aſſumptum emeticum brevi febrem ceſſare vidi.

§. 39.

§. 39. Purgantium potiusve laxantium N. 3. 4. usus frequentius indicatur per borborygmos, ventris inflationem, lumborumque dolores; hae quoque diebus a febri vacuis tutius exhibentur, iisque via paratur specificis febrifugis dein; inde non raro bis vel ter propinanda saltem ante corticis usum.

§. 40. Cur vero non conducat statim primis accessionibus ut 34 dictum febrim specifico supprimere, neque antiquis *cortex* innotuerit, varia tentata fuere nec prorsus inutilia in hac febri domanda vel ejus materia corrigenda. Sic vernalis V. C. non semper specificum poscit vegetabile; ideo & usu venit ad tertium quartumve paroxysmum, diebus ab emeticis & purgantibus liberis quaedam alterantia sic dicta pro tempore saltem dare. Sunt autem salia media quam maxime proficua, quae locum & usum habent praecipue in cacochymicis colore bilioso per totum corpus diffuso, formula talis extat. Salia fixa alcalina quoque, ut sal absynth. sal ammoniacum de quo §. 34. item mercurialia, sulphur auratum antimonii tertiae praecipitationis, de quibus cum extractis amaris pilulas No. 11. componere licet, in reserandis obstructionibus rebellibus nunquam satis laudandas.

§. 41. Laudantur quoque amara roborantia, qualia sunt chammomilla romana, absynthium vulgare, radix gentiana, contrayerva, summitates centauri minoris, floresque arnicæ a *Collin*, lignum quas-

quaſſiae aliaque in pituitoſis & forſan in febribus vernalibus haud prorſus contemnenda; in gravioribus & autumnalibus ſi non inutilia, certe ineſficacia reprehenduntur.

§. 42. Sudoriferis etiam curari febrim aliquando contingit, leviorem nempe ab impedita forſan tranſpiratione ortam aut vernalem. Antipyreticon Boerhavii ipſum in autumnalibus fallax reperi; ejus formula habetur No. 12 & 13.

§. 43. Diuretica nihil efficiunt nec non adſtringentia, niſi in quodam caſu forſan peculiari. Nux vomica & arſenicalia e foro medico rejicienda, uti et narcotica; item piper contuſum in Spir. vini ruſticis & plebejis familiare, inflammationem aut febrem ardentem enim inducit ſaepius.

§. 44. Omnibus autem palmam praeripit & ſpecifice conducit omnibus temperamentis aetatibusque divinus *cortex* in debellandis febribus intermittentibus, evacuationibus neceſſariis prius inſtitutis poſt aliquas acceſſiones ſcilicet, paroxysmum poſt exhibitum corticem vehementiorem ſubinde vidi. Verum enim vero inſequens non redibat inſultus. Vidi quoque febres intermittentes ſimplices & benignas adeo obſtinaces ut cortici non cederent; num ex remedii inefficacia, num ex aegri peculiari idyoſencraia? ſemoto autem corticis uſu, ſponte ceſſabat febris.

§. 45. Methodus corticis exhibendi hodie omnibus innoteſcit in ſubſtantia ad ℨß omni bihorio apyrexias tempore exhibitus, optimn valet; dolen-

dolendum tamen quod a quibusdam non bene feratur, iisdem infusum vinosum 14. dandum, quo tamen non tam citius febris abigitur. Quibusdam diarrhoeam excitat *cortex*, si autem cum pauco opii 15. maritatur, hoc incommodi praecavebitur, e contra aliis alvum nimis constipat; hisce docente Meadio, testeque experientia rhabarbari aliquot grana singulis praebiis optimo jungitur cum effectu, aliter catharsim exhibere brevi post debellatam cortice febrim, eandem evocare erit, in debilioribus cortex cum liniatura martis 16. bonum iniit connubium; enemata 17., & fomenta corticis peruviani 18. abdomini applicata in infantibus valent. Sed intestina prius uno alterove clysmate eluenda, terque ad minimum de die clysma febrifugum injiciendum, si quid boni inde sperandum. In usum corticis per quatuor aut quinque septimanas insistendum ad tria saltem praebia singulis diebus.

§. 46. Diaeta in paroxismo sit tenuis, potus sit aqua, cui panis tosti frustum fuerit infusum; extra paroxysmum, alimenta duriora, lacticinia & pisces molliores vitentur: haustus vini conceditur; corpus modice exercendum, somno longiori vires a febri detritae erigendae, refocillandae. Animi affectus sint moderati & ad hilaritatem, quantum possibile, gratis confabulationibus aegrum disponant amici ac familiares.

§. 47. De prophylaxi etiam quaedam monenda essent, sed febrim praecavere non curant ho-

mines, nisi forsan qui ea laborarunt verno vel autumno tempore. Circa idem tempus prophylaxis ergo sit, rhabarbaro bilem evacuare, emetico sordes primarum viarum expurgare, diaeta uti sicciori potuque vinoso. Observatur enim eos, qui spiritum vini subinde bibunt, non ita facile febri intermittente obnoxios esse, tum & aliquot praebia corticis usurpanda.

Cap. IV.

DE FEBRIBUS ANOMALIS REMITTENTIBUS PERNICIOSIS ET LARVATIS.

§. 48.

Febres anomalae dicuntur intermittentes duplices sive quotidianae, sive tertianae, dum scil. uno eodemque die duplicem habent aegroti paroxysmum, ut videantur ex duabus febribus intermittentibus componi. In tertianis duplicibus accessiones quoque fiunt singulis diebus, sed accessiones alternis diebus sibi invicem respondent: idem est de quartanis duplicibus & triplicibus si revera existunt.

§. 49. Remittentes quae & subintrantes dicuntur & in quibus perfecta non sequitur apyrexia, sed remissio tantum caloris & aliorum symptomatum sine subsequente sudore, quaeque iterum abs-

absque frigore ſenſibili praevio ſtatis inſurgunt temporibus.

§. 50. Erraticae audiunt febres quae nullum typum quoad horam invaſionis ſive acceſſionis decurſum ſervant. Species frequentiſſime occurrens eſt Hemitriteia ſeu ſemitertiana, in qua exacerbatio alternis fit diebus per horrorem & rigorem iterumque diebus intermediis exacerbatio fit levi tantum refrigeratione, cognitu difficilis ſatis, difficiliorque curatu adhuc. Urina lateritia, pathoque nomonicum ſignum in remittentibus & larvatis ſi adſit. Verum enim vero nec ſemper adeſt.

§. 51. Perniciosae ſunt, ſi cum affectu lethargico, comatoſo, apoplectico, carotico, aliove pathemate ſoporoſo aggrediuntur a multis obſervatae ſed praecipue a TORTI, WERLHOFIO deſcriptae. Cum ſyncope, ſpasmis & convulſionibus annotatae praecipue ſunt a CASIMIRO MEDICO. Tempus autumnale harum febrium quam maxime ferax.


§. 52. Cauſa eſſentialis harum febrium ponitur ab omnibus, praeſertim autem a PRINGLE, CLEGHORNIO, MEDICO, & GRAINGERO in copioſa acriorive bile, occaſionalis vero aeſtas nimis ſicca & calida. Subita mutatio a calore aeris ad frigus: ſolum humidum, exhalationesque tales & putridae a LANCISIO quam maxime ad occaſionales adnumerantur cauſas.

§. 53. Ad therapeiam quod attinet, in remittentibus biliosis praecipue emetica indicantur, ut copia bilis minuatur. V. S. quam maxime necessaria & quidem in vigore febris & in hisce & in sic dictis perniciosis, ut inflammatio praepediatur & via cortici paretur, dein quantocius cortex exhibendus & quidem secundo paroxysmo, vel altera exacerbatione superata; est enim unicum ac indispensabile remedium in omnibus hisce affectibus, vesicantia vero in soporosis convulsivis & delirio non negligenda.

§. 54. Non tantum valet cortex tanquam specificum & unicum fere in intermittentibus & remittentibus, sed & in larvatis: quae se declarant peculiari quodam symptomate periodice redeunte cum vel sine febri aut calore sensibili, v. g. tussi convulsiva, quinta hora matutina, quotidie insurgente, uti vidit *Senae*, aut singultu, haemorrhagia, haemoptoë, dolore colico, cordis palpitationibus, affectu pleuritico, rheumatico topico, diarrhoea, dysenteria, vomitu &c. vel & ophthalmiae specie & coecitate perpetua, uti perhibent alii. Digiti indicis tumorem alternis diebus insurgentem vidi ipse, cephalalgiam quoque singulis annis redeuntem circa decimam matutinam periodice ingruentem, quoque vidi. Cortex utroque in casu remedium fuit. Nyctalopiam, salivationem, choleram, insaniam, delirium periodicum viderunt alii.

CAP.





CAP. V.

DE SYNOCHO PUTRIDA.

§. 55.

Febris continua per plures dies non raro septimanas sine exacerbationibus aut remissionibus saltem sensibilibus admodum, nisi circa horas vespertinas, sicque pergens usque ad ultimam & integram sui cessationem, quae fit ut plurimum circa septimum, nonum diem; alteram vel tertiam septimanam, synochus putrida audit.

§. 56. In initio plerumque adsunt rigor, lassitudo, sitis, vigilia, cephalalgia, lumbago, membrorum dedolatio, quae aliquando per aliquot dies ante febris ingressum sentitur, tunc nausea saepe & vomitus, lingua sordida muco albo obducta, oris amaror, saporque ingratus. Morbi decursu haec omnia augentur, novaque insequuntur, delirium sc. asaphodes, phrenitis, motus convulsivi: pulsus interdum magnus & subdurus, saepissime vero celer, parvus ac debilis, urina turbida jumentosa vel rubra & pauca.

§. 57. Causa essentialis a quibusdam ponitur diathesis sanguinis phlogistica: aliis vero & quidem rectius quaedam acrimonia sanguinis corruptionem & dissolutionem inducens. Diaeta carnea absque vegetabilibus, esus piscium copiosus,

ſus, aetas humida & pluvioſa, miaſma contagioſum inter occaſionales numerantur cauſas.

§. 58. Obnoxii manent prae caeteris huic febri juvenes, ſanguinei, & plethorici. Si vero epidemice graſſatur, nulli parcit aetati aut temperamento, frequentiusque tamen viros quam foeminas ea corripi compertum habeo.

§. 59. Critice terminatur ſaepius per ſudorem, diarrhoeam bilioſam, quae vero evacuationes ſtatim ab initio morbi obortae nihil juvant: tum per urinam ſedimentoſam, hypoſtaticam, neque raro exanthematum circa 11^{mum} diem, eruptionem. Haemorrhagia critica ſalutaris vix ſperanda in humorum diſſolutione, ſecus vero in ſpiſſitudine inflammatoria. Metaſtaſis ſaepe fit ad glandulas inguinales & parotides tumentes & ſuppurantes, tuncque magnam & diuturnam poſt ſe relinquit imbecillitatem.

§. 60. Motus criticos fieri a ſeptimo die alternis diebus ut plurimum obſervavi; atqui ſi tunc temporis virium proſtratio major, quae in hisce febribus tanta ſaepe ut ſtatim ab initio Leypothimiis ſe prodeat: tum & mentis alienatio, ſomnus nullus, aut valde turbatus; nulla cura de iis quae cordi prius erant, oculi lacrymantes & lucem fugientes, luctuoſi; lingua aſpera & nigra, nec de ſiti ulla ſenſatio; reſpiratio difficilis & anxia; pulſus debilis tremulusque; hypochondriorum tenſio, meteoriſmus; excretiones alvinae, involuntariae, nimis olentes, inquietudo, membrorum ja-

ctatio

ctatio continua; lectum continue mutare velle, pedum denudatio; floccorum collectio: decubitus resupinus in dorsum cadaveris ad instar, oreque hiante in non assuetis sic statu sano, convulsiones adsunt, urina emittitur pauca, in magno discrimine versatur æger, neque induciis subitis fidendum, dum si æger prius inquietus & delirans subito fit mentis compos & tranquillus magis; mors enim januas pusat.

§. 61. Vermes vivi sponte prodeuntes, vesicantia aut operantia, aliaque probata remedia nullum effectum edentia, malum; non vero lethale perpetuum. Vidi autem aliquando homines debilioris constitutionis & facile movendos per alvum, a continuo usu lactis sulphuris in hac febri nullam habuisse sedem; indeque mortem praedixi, quam eventus saepissime comprobavit.

§. 62. Venae sectio nocet in hac febri, nisi forsan in initio semel instituta, ubi pulsus magnus & durus, faciesque rubra, emetica magis indicata sunt, uti & cathartica ex lenioribus saepe jam indicatis. Alvus alternis diebus clysmate eluenda, si clausa praesertim quod praecipue fit, si aliquid latet inflammationis topicae, in putridis prorsus vero, alvus potius soluta est. Ut autem hic obiter dicam, quid valeant clysmata ex aere fixo in putridis, uti placet anglis medicis, non ausim dicere; est enim praxis non commode a polyatris instituenda, & vix in nosodochiis tantum possibilis. Sinapismi in delirio phrenitico vesi-

 catoriis

catoriis cum QUARIN praefero: in ſoporoſis deliriisque obſcuris haec illis anteponenda; vinum ſynocho laborantibus putrida concedendum quo delirium minus ferox, aut congeſtiones ad caput minores. Camphora bene audit ubi pulſus nimis debilis. Cortex peruvianus evacuationibus neceſſariis inſtitutis in decocto cum acidis mineralibus No. 7. 8. omnem adimplent paginam.

§. 63. Aer quotidie renovandus per ventilabrum aut feneſtram caute apertam per horae dimidium adductis prius cortinis circa lectum aegrotantis tempore hyemali ſc., aeſtate vero noctes atque dies januae atque feneſtrae pateant, praeterea vapore aceti, vel etiam aqua frigida pavimento inſperſa emendetur vel refrigeretur aër cubiculi; ſordes & impuritates aut excrementa, ſtatim amoveantur; hominum frequentia vitanda circa ægros, induſia madida ſqualida caute ſaepius mutanda; ſi exanthemata adſunt aut æger ſudat, magna requiritur cautela in linteaminum mutatione, induſia induenda ſunt probe ſicca & tepida; Potus frigidiuſculus acidulatus ſummopere conducit, praeſertim ubi nulla inflammationis indicia; fructus horrei maturi ſemper proſunt; poma & pyra cocta hyeme commendantur, uti & Rob ribeſiorum potibus admiſtum.

CAP.





Cap. VI.
DE FEBRI MALIGNA PETECHIALI.

§. 64.

Synoches putrida ſymptomatibus pernicioſis ſtipata, ſaepeque adeo doloſa, ut inde nomen malignitatis contraxerit haec febris; eſt ſumme contagioſa, cum maxima animi dejectione ſubitaque virium proſtratione obrepit, pulſus eſt debilis inaequalis, lingua ſordida, albida mucoſa, dein aſpera & nigra, nec niſi tremula exeritur. Lotium in initio ſaltem a naturali vix differt, calor non multo ad tactum ſaltem naturali major.

§. 65. Saepe per aliquot dies aegri iisdem afficiuntur ſymptomatibus, neque credunt ſe male admodum habere, cum ut plurimum ſuis negotiis vacare utcunque liceat; ſed demum nauſea, vomitus, neque raro diarrhoea bilioſa oritur, cum leipothimia mali valde ominis; obſcure delirare incipiunt, ſurdique fiunt, quod vulgo bene accipitur, atqui confunditur cum critica ſurditie quæ ſubinde in fine morbi fit, quantoque die ſaepius, aliquando tardius erumpunt maculae lividae nigrae culicum morſibus ſimiles, planae non elevatae, petechiae dictae, quae, ut obiter dicam, non ſemper argui ſanguinis diſſolutionem,

ſed & cum ſanguine phlogiſtico & inflammatorio occurri, cum HAENIO multoties compertum habeo. Vibices maculaeque latiores triſtis funeſtique augurii ſunt, ſymptomatica caeterum eſt eruptio, nec inde levantur aegri; conſpiciuntur in dorſo, pectore, cruribus & brachiis, raro ſi unquam in facie.

§. 66. In hac febri genus nervoſum praecipue afficitur, unde morbo increſcente, ſingultus, tendinum ſubſultus, convulſiones, phrenitis oriuntur; uti & aphthae & circa ſeptimum, nonumque diem vel & ſerius mors. Si vero nonus ſuperatur dies, ſurditasque oritur tunc, palpebrae cruſta quaſi obliniuntur; ſpes maxima ſalutis affulgit. Ptyalismus quoque frequentiſſime cum aegri euphoria, ſi vero naſus acuminatur, oculi retrahuntur, extrema frigent, ſudor fluit viscidus; maculae retrocedunt ob ſummum virium lapſum, maximum adeſt vitae periculum.

§. 67. Aër humidus tepidusque ſimul, moeror diuturnus, injuria in pectore ſenſibili aliquandiu ſepulta, alimenta alcali praedita, ſine pane aut acido ſaepius ingeſta, cauſae occaſionales; ſolutio ſanguinis vel ejus maxima ad putredinem propenſio, ut proxima & genuina morbi ponitur cauſa.

§. 68. Vene ſectio ideo non niſi cautiſſime inſtituenda & ſi unquam in initio tantum in valde plethoricis, praeſertim ubi pulſus durus, pulmones oppreſſi, anxiaque reſpiratio, neque tum mul-

multum de debilitate apparente ſolliciti erimus, ut ſemel ſaltem inſtituatur pro tempore.

§. 69. Emeſim quoque ex nauſea, orisque amarore indicatam, ubi nulla inflammationis internae criteria, morbo ingruente movere ex arte eſt; ubi vero petechiae citius erumpunt, ſi altero jam morbi die, non adeo tuto fit: corruptio enim ſanguinem jam aggreſſa eſt.

§. 70. Laxantia hic quam maxime neceſſaria & quotidie uſurpanda, ut ſaburra e corpore eliminetur putrida. Nam petechiae uti recte STRAK, eſt miasma putridum, putribus e rebus in infimo ventre ſtabulantibus ad peripheriam corporis propulſum; non autem quadrant hic draſtica, ſed manna, cremor tartari, tamarindi, aqua laxativa, & pro pauperibus lac ſulphuris repetitis doſibus datum quam apprime conducunt.

§. 71. Quin & prophylactica in ſanis vel in iis qui inſolito more debiles, animo dejecti, membrorumve laſſitudine, ciborum inappetentia & ſomno inquieto afficiuntur, eſt medicina, rhabarbarum cum cremore tartari 19. quotidie aſſumptum.

§. 72. Si pulſus languidus nimis & depreſſus plus juſto in hac febri, elevandus liquore alcalino cum acido No. 20. apta doſi bis vel ter de die data; tum paretur quoque decoctum corticis ſaturatum, cui adde rad. ſerpentariam, camphoram & ſpiritum Mindereri ex aceto ſtillatitio & ſali volatili

latili ammoniaco paratum. 21. Vitentur hic nitrosa. Si delirium obscurum vel affectus comatosus adsit, vesicantia dorso & suris applicanda lata: in phrenitico autem delirio nitrosa cum camphora aliis calidis praeferenda. 22. Plantis pedum tunc adhibendae fomentationes ex aqua & aceto calide quæ & sinapismis nedum vesicatoriis præferuntur; hyrudinum applicatio & in phrenitide & in affectu comatoso laudatur, optatum vero non semper praestitisse effectum expertus doceo. In dentium stridore, convulsionibus, singultu, moschus orientalis vel in substantia vel decocto aliisque mixturis mixtus 23. ad semi scrupulum aliquoties de die exhibitus bonos desideratissimosque mihi saepius praestitit effectus. Cæterum, acida hic omnino non omittenda.

CAP. VII.

DE FEBRI CATARRHALI BENIGNA ET MALIGNA.

---

§. 73.

Febris catarrhalis benigna præcipue ab aliis febribus distinguitur continuis, vespertinis exacerbationibus, cephalalgia, gravedine capitis & oculorum, coryza, tussi sicca, molestoque in naribus, faucibus, pectore & lumbis sensu, & horripilatione.

§. 74.

§. 74. Ut plurimum ſudore, deſtillatione e naribus & excretione pituitæ e bronchiis, nec non urina ſedimentoſa, circa tertium, 5tum, 7mum, 9num, 14mum, diem ſolvitur.

§. 75. Cauſa proxima & ſuccus acris in glandulis praecipue ſtagnans, ex perſpiratione impedita, corporis refrigerio in aere humido & frigido, ſpecifice vere & autumno: dum cito nimis veſtes hyemales deponuntur, nimiſque tarde iterum induuntur, quod SYDENHAMO jam obſervatum, dum ait plures hac cauſa quam peſte & gladio mori.

§. 76. Raro quidem periculoſa admodum hæc febris neque magno artis aget molimine pro ejusdem curatione, raro enim, ob leviorem calorem, mitioraque ſymptomata, venae ſectione aut purgantibus opus. Leniora temperantia, nitroſa, diaphoretica 24. omnem adimplent paginam.

§. 77. Hæc ipſa febris adeo mitis tamen, ex calidiori regimine ſæpius, interdumque ſponte maligna evadit ſecum ferens omnia malignitatis criteria, ſi petechias excipias. Inde a quibusdam febris petechizans audit; uti febris varioloſa ſine variolis; dyſenterica ſine dyſenteria a SYDENHAMO tradita. De ejus autem decurſu, methodoque medendi, nihil eſt, quod addam febri petechiali, Cap. 6. deſcriptæ, cum qua omnino convenit; niſi quod pro tuſſi lenienda, pectoralia leniora in uſum vocanda, 25. tuſſis ferina aliquando

do opium 26. poſtulat, nocturno præſertim tempore.

CAP. VIII.

DE PESTE VEL FEBRI PESTILENTIALI.

§. 78.

Contagium celerrimum, non tantum per contactum, aërem communem, ſed & veſtes a diſſitis quamvis locis allatas, ſeſe communicans & ſæpiſſime initio ſaltem uno extinguens momento ſaniſſimos quosvis in platea verſantes homines peſtis ſeu peſtilantia vocanda.

§. 79. Noſtris oris vix in ſeculo Dei benevolentia apparet: e contra in Africa, Aegypto, Turcarumque regno, aliisque regionibus calidis omni ſexennio vel ſeptennio ſæpiſſime graſſatur; hyemis frigore miteſcere ſolet.

§. 80. Frequentiſſime ſine febri oriri aſſerunt Loriniatri, oborta vero febri, quamque peſtilentialem vocant, quæque non niſi morbo aliquantisper jam mitescente fit, omnia ſymptomata febris putridiſſimae ſecum adducit; quibus præterea adduntur ſanguinis eruptiones variæ, antraces ſive carbunculi gangrenoſi bubonesve, erumpentes præſertim in hisce, qui a vi morbi non ſtatim

ſtatim enecantur, petechiae carbunculis ipſis deteriores habentur, deficere enim videtur naturæ vis ad expellendum & deponendum virus. Ideo in peſte fere ſemper mortis præcurſores habitæ fuere.

§. 81. Cum vero de morbi eſſentia inter peſtis ſcriptores diſputetur, hic enim ſanguinem phlogiſticum, hic iterum diſſolutum ac putridum accuſat, variant quoque in medendi ratione. Inde ſanguinis miſſio a quibusdam magnis extollitur encomiis, ab aliis iterum quam maxime damnatur. Forſan pro varietate ſymptomatum in pulſus duritie vel mollitie obſervatorum, utrique recte iudicant: emetica enim ob inflammationis metum non niſi caute adhibenda. Methodus ſudorifera a DIEMERBROEKIO, SYDENHAMO, WILLISIO commendatur. Antraces & bubones quantocius ad ſuppurationem deducendi atque aperiendi, alvus libera non laxa ſervanda; cardiacis, vino rhenano, camphora & cortice peruviano vires ſuſtinendæ, ut natura ſufficiat veneno expellendo. Hæc breviter annotari placuit ut ideam darem diri morbi noſtris regionibus per Dei gratiam minus familiaris. Qui plenariam de eo deſiderant hiſtoriam, adeant velim Loriniatros DIEMENBROEK, SYDENHAMUM, ſc. & DE HAEN, qui operoſius collegit omnia, quæ de hoc morbo varii ſcripſere autores.

CAP.



Cap. IX.

DE CURA PROPHYLACTICA ET PRAESERVATORIA IN PESTE ALIISQUE MORBIS EPIDEMICIS ET CONTAGIOSIS.

§. 83.

Non tantum medici eſt morbos præſentes curare, ſed & futuros quantum poteſt bono regimine evitare aut avertere & homines reipublicæ ſanos conſervare bonis conſiliis, hocque eſt munere boni civis fungi, dum utilitate hominum nihil debet eſſe homini antiquius.

§. 84. Prophylaxis ergo in morbis epidemicis duplex cenſetur & politica & medica. Ad priorem attinet ut plateæ ſæpius a cœno & luto repurgentur, aſſidueque ab animalibus, felibus canibusve mortuis noctu aſportandis vendicentur, inſalubria ſunt enim talia effluvia, neque ſemper fidendum narrationi quam habet Alexander Benedictus, tetrum odorem ſc. canum interemptorum, per vias & per vicos ſuadente medico abjectorum in peſtis remedium Sarmatis ceſſiſſe. Cadavera demortuorum noctu quoque ſolito citius, ante putrefactionis nempe ſigna, inhumanda.

§. 85. Veſtes etiam mercesque lanea aliaque extinctorum bona, alte defodienda non cremanda; per

per ſumum enim ſpargitur contagium. Non autem probatur hodie mos ignes accendendi in plateas ad aerem purificandum ab antiquis commendatus, experientia enim conſtat, calore miasma potius propagari quam extingui: frigus etenim antidoton maximum peſtis. Domus quoque peſte extinctorum non claudendæ ut antiquis ſolemne; ſed diruendæ ſi poſſibile, alioquin probe repurgendæ, calceque denuo dealbandæ & apertæ undique relinquendæ, ne miaſma diu incluſum, ex prima domi apertione, qua data porta denuo morbum jam extinctum revocet.

§. 86. Ad alteram, medicam ſc. prophylaxin pertinet, quod dies atque noctes pateant feneſtræ domi cubiculorumque ægrotantium, ut vis miaſmatis aere continuo renovato, minuatur caſtreturque. Serventur etiam quam maxime nitidae ab omni impuritate, excrementis, & lotio. Relinquamus quibus placet olfacere latrinas aut ovile ſtabulum & fugandæ corruptioni aeris idoneum deprædicare remedium. Amoveantur ergo ſtatim excrementa, vaſaque in quibus deponuntur aut exportantur aceto eluenda, pavimenta quoque ſæpius de die aceto inſpergantur.

§. 87. Cuſtodes ægrorum, medici uti & cæteri, qui ægros adire debent, manus inungant oleo, facieque averſa miniſtrent ægris, os colluant aceto fortiſſimo, retineantque in ore ſpongia aceto bezoardico prophylactico 27. imbuta; ſalivam continuo expuant, maſticentque ſæpius

radicis pimpinellæ albæ, camphoræ myrrhæve frustulum. Manus, faciem omnesque corporis partes nudas aceto abluant sæpius de die; in ægrotorum atmosphæra nihil edant aut bibant.

§. 88. Ad medicos præcipue pertinet, ne accedant ægros nimio motu exagitati, aut sudore perfusi vel jejuno stomacho, neque exeant domo mane nisi pransi panem cum butyro, superque bibendo haustum vini cujusdam acidi, rhenani puta; nec sedant diu ad lectum, aut super arculam in qua sella perforata, & excipulum reconditur, nec pileum lecto aut eidem arculæ imponant, inde enim dysenteria affectum fuisse affirmat de se ipso TRALLES.

§. 89. Cæterique omnes in una degentes urbe, diæta utantur acida, fructibus horæis maturis sive coctis vescantur. Potus sit posca seu acetum cum aqua; Limonada, Punch, vinum rhenan. Cremoris tartari usus quam maxime recommendatur, carnium esus, anatis, anseris porcive & pinguedinis vitandus. Non assueti præcipue tabaci fumum per fistulam hauriant. Hoc modo seu regimine se liberum a peste mansisse ait DIEMERBROEK.

§. 90. Animus sit hilaris, neque timori neque aliis pathematibus vividioribus pronus. Coitus, commessationes, pergræcationesque, nec non ebrietas summe noxia. Caveant sibi sani ab ambulationibus nocturnis neque incautos feriant matutina & nocturna frigora perspirationemque inhibeant. Vestes seligant potius sericas quam laneas;

neas; quotidie hæ fumo ſulphuris & aceto irrorentur. Ad minimum morbi ingruentis indicium emeticum aſſumatur.

§. 91. Balnea frigida, vel ſaltem corporis frigida lavatio commendatur a Rhasi infantibus variolas nondum paſſis in epidemia varioloſa, ergo & in aliis epidemiis valere poſſunt: frigore enim corpus, visque miaſmatis contagioſi quam maxime caſtratur. Venæ ſectiones prophylacticæ non niſi caute inſtituendæ ſi plethorae indicia. Cathartica quoque vitanda & alvus forſan cremoris tartari uſu quotidiano libera non laxa ſervanda; ulcera artificialia, fonticuli ſc. in brachio & in crure ab omnibus Loimiatris laudantur. Inter medicamenta ab Anglis præcipue & pro peſtis & pro variolarum prophylaxi commendatur cortex peruvianus cum nitro & camphora ad aliquot præbia de die; quin & amuleta ex camphora ſecum portata, vel collo aut thoraci appenſa in iisdem valere creditur.

§. 92. Cæterum nullum certius tutiusque prophylacticon quam fuga ſi poſſibilis, qualis ſequenti continetur verſiculo:

Hæc tria tabificam tollunt adverbio peſtem:
mox, longe, tarde, cede, recede, redi.

Omne commercium enim ſanis cum ægrotis interdicendum, nec niſi ſero cum convaleſcentibus concedendum, poſt ſex ſeptimanas ſcilicet a morbi omnimoda ceſſatione. In variolis aliisque morbis eruptivis infectio quam maxime fit poſt ex-

 ſiccatio-

ſiccationem & cutis deſquammationem; idque ad quartam extenditur ſeptimanam, totque igitur ſibi caveant a contagio variolas nunquam antea paſſi neque convaleſcentes adeant, aut veſtes eorum contrectent.

Cap. X.

DE FEBRI LENTA ET NERVOSA.

---

§. 93.

Febrium lentarum duæ dantur ſpecies, nempe acuta altera de qua hic, altera chronica de qua mox agetur. Acutam quod attinet, ſi modum invadendi primis diebus vix ſenſibilem, ſi ſymptomata calorem nempe, naturale non majorem fere, pulſum debilem atque celerem, ſi ejusdem durationem ad tertiam ſeptimanam & ultra non raro ſpectas, facile cum febri putrida maligna confundi poteſt. At diſtinctionem faciunt pallor faciei & genarum rubor fugitivus. Capitis dolor in parte poſteriore potius quam in anteriore percipiendus, delirium obſcurum, murmur potius, totius morbi decurſu, uti & urinæ limpidæ continua excretio, cum ſudore viscido frigidoque circa frontem.

§. 94. Si cauſam morbi proximam & eſſentialem ſpectas, differentia & diſtinctio apparet quam maxi-

maxima: in febri putrida enim ſanguis denuitate & diſſolutione peccat nimia, in febri nervoſa vero ſolidorum datur atonia, & laxitas, cum humorum lymphaticorum & nervoſorum depravatione.

§. 95. Debiles ergo ſive natura, ſive morbis prægreſſis, evacuationibus repetitis, ſtudio nimio aut labore exhauſti, diuturno & tacito mœrore afflicti; febri nervoſæ præ cæteris obnoxii manent.

§. 96. Morbus obrepit cum pigritie inſolita, horripilationibus continuis, repentino calore, languore univerſali, animi dejectione & tarditate; gravedine, cephalalgia, vertigine, nauſea & vomendi conatu faſtidioque, quæ omnia interdiu mitia ſatis circa veſperam increſcunt: pulſus eſt celer & parvus, reſpiratio difficilis nec raro anxia, pallor ineſt faciei. Primis diebus, quinque vel ſex puta, ſic ſe habet æger, neque putat ſe ægrotare, neque tamen recte valere.

§. 97. Poſt hoc tempus ſomnolentia vexatur aſſidua, ſomno licet haud ſequente & quamvis interdum adſtantibus dormire videtur, rem ſic non ſe habere conſtanter affirmat æger. Genis rubentibus pulſus ictus accelerantur, dum interim naſi apex & aures frigent, fronsque ſudore madet frigido, lingua parum a naturali abludens ſtatu, levi mucoſa obducitur cruſta.

§. 98. Circa nonum diem capitis dolor auctus, ſuſurrus cum aurium tinnitu, anxietas & pecto-

pectoris oppressio, lingua rubra, arida, fissa, nec tamen ulla de siti querela, debilitas magna, nec se erigere valet in lectum nisi prorumpente sudore frigido, tremor manuum & linguæ, tendinum subsultus; delirium haud violentum, seu mentis confusio, cum terrore & quasi perturbati expergiscunt, dein sui memores statim in pristinum relabuntur delirium.

§. 99. Circa undecimum diem deglutitio difficilis, singultus, sudor viscidus non levans, uti & diarrhœa serosa colliquativa, valde debilitans, pulsus valde celer, stupiditas & coma oritur, oculi lachrymis madidi, aphthæ nigræ, virides vidi aliquando: extremorum frigus, eruptio miliaris haud critica, & circa decimum quartum diem mors.

§. 100. Evasuri vero omnes fere sub finem morbi, surdi fiunt, propensionem habent ad somnum & plerumque sine sudore critico aut ulla urinæ mutatione sensibili, aliquando per salivationem terminatur morbus. Debilitas autem & animi languor ad sex sæpe extenditur septimanas & ultra. Fatuos diu post reconvalescentiam vidi neque satis mentis compotes nisi postquam replentibus & analepticis probe nutriti fuerint.

§. 101. Pulsuum parvitas urinaque limpida venæ sectionem semper vetant, quamvis adsint anxietates & pectoris oppressiones. Hirudinum applicatio ad tempora, ubi coma cæteraque signa congestionis ad caput forsan locum habent, licet non

mul-

multum boni unquam in hac febri inde viderim. Veſicatoria ad nucham, ſurasve optimum præſtant effectum.

§. 102. Lene vomitorium ex ipecacuanha, aut catharticum ex manna, rheo, ubi nauſea & ventris murmura, in initio conducunt haud raro. Si alvus naturaliter haud reſpondet, alternis diebus clysmate ſollicitanda.

§. 103. Cæterum ob ſummam debilitatem omnia evacuantia hic vitanda & potius iisdem cardiaca ſubſtituenda, qualia ſunt camphora, radix ſerpentaria virginiana, cortex peruvianus, cui ſub finem morbi rhei parum addendum ut ſordes primarum viarum prorſus eliminentur. Tum valent liquor C. C. ſuccinatus No. 20. & moſchus in ſingultu & tendinum ſubſultibus. Opium noxium quamvis adſint vigiliæ. Sed & omnibus cardiacis palmam præripit vinum rhenanum ad unc. duas omni bihorio datum, e cujus uſu pulſum pleniorem fieri, coma imminui optimi eſt augurii. Si diarrhoea adeſt colliquativa, vino rhenano ſubſtituatur vinum rubrum coctum aut aqua dilutum cum ſaccharo, in deglutitionis difficultate & cum periculo ſuffocationis, pituitæ ob copiam ſolutio tartari emetici aquoſa No. 1. vel & oxymell. ſquilliticum cum kerme minerali cochleatim exhibe 28. omni ſemihora.



CAP. XI.

DE FEBRI LENTA CHRONICA SEU HECTICA.

§. 104.

Febris lenta hecticave minime confundenda cum lenta nervosa praecedente capite descripta, quæque inter acutos, uti ibidem dictum, recensetur morbos. Hæc vero ad plures menses, immo ad annos interdum lucidis nonnunquam intervallis induciisque non multum fidendis durans, cum corporis lenta consumptione veroque marasmo demum ad mortem ducit.

§. 105. Symptomatica fere semper est cum natales debeat glandularum meseraicarum obstructioni præcipue in infantibus variis acrimoniis, scrophulosæ scilicet, scorbuticæ, syphyliticæ, scabiosæ, cariosæ, cancrosæ, chloroticæ: tum & puri resorpto a quocunque viscere exulcerato, uti in phthisi pulmonali de qua alio tempore.

§. 106. Quædam præterea dantur causæ occasionales febri huic gignendæ, aptæ; sc. febres acutæ, intermittentesve male curatæ; metastasis variolarum & morbillorum; hydrops, evacuationes nimiæ quæcunque, uti lactatio diuturna, venus nimis culta; hisce adde inediam & vigilias protractas, ebrietatem, venena saturnina, medicamenta

camenta draſtica diu uſurpata, aliaque quæ lympham nutrititiam corrumpere valent.

§. 107. Clanculum ita obrepit, ut vix ab ægrotis percipiatur nec ſatis a medicis dignoſcatur in initio ſeu primo gradu. Tres enim ſtatuuntur gradus hujusce febris. In primo ſcilicet ſymptomatibus levioribus ſe manifeſtat facile domandis modo bene cognitis: In ſecundo, ſymptomata ingraveſcunt & ægris & medicis facile patent, difficiliores jam vero ſunt curatu. In tertio lethalia nullam medicinam accipientia evadunt.

§. 108. Primo autem gradu, horis matutinis ſatis bene ſe habent ægri. Circa veſperam vero & poſt paſtum accidentia increſcere ſolent, nempe calor in vola manuum, reſpiratio anheloſa ad minimum motum, cæteræque functiones non adeo alacriter fiunt.

§. 109. Cætera phenomena in hac febri apparentia ſunt plenaria appetitus ciborum & virium dejectio; ſomnus nunquam refocillans; carnium flacciditas, emaciatio: color luridus pallidus, niſi increſcente calore & pulſuum vibratione, circa veſperam nempe quando genarum adeſt doloſus atque fugitivus roſeus rubor, ſudores nocturni circa frontem & collum præſertim. Sapor fœdus matutinus in ore, ſitis, vomenti conatus, tuſſis, iracundia levi de cauſa. Moroſitas, intolerantia adverſus ipſos familiares. Hic ſecundus gradus.

§. 110. Tertius & ultimus gradus omnibus hisce ingravescentibus insurgit, iisque adduntur diarrhœa colliquativa, sudoresque tales; urina quæ antea limpida & spumosa, jam oleaginosa & tela aranearum haud dissimile obducta, emittitur pauca: pedum tumor fit œdematosus, facies hippocratica, aphthæ, mors.

§. 111. Curatu difficilis admodum est hæc febris & nunquam in ultimo curabilis stadio. Semper autem attendendum ad morbum primarium seu causam hecticæ, quod si possibile, hæc prius eradicanda & hic certe valet, sublata causa, tollitur effectus. At hic labor, hoc opus.

§. 112. Cæterum commendantur in diæta lacticinia, farinosa, ova sorbilia, juscula ex pedibus vitulinis, cancris, aliisve gelatinosis, mucilaginosa & acrimoniam demulcentia, emulsiones 29. ex amygdalis seminibusque frigidis. Potus chocolada, hydrogala, serum lactis.

§. 113. Medicamenta optima sunt cortex peruvianus; aqua selterana cum lacte, tempore minoris caloris hectici. Lac asininum, aut caprinum mane jejuno stomacho ad libram dimidiam ante lectum ægrotantis emulctum, statimque epotum, aqua calcis cum lacte in sudore & diarrhœa colliquativa. Requiritur & hic summa prudentia medica ne tempore majoris orgasmi exhibeatur. Pro tussi lenienda nihil melius habetur quam laudanum ad gr. dimidium, aut pil. de cynoglos. vel de styrace ad gr. ij. iij. hora somni. Semicupia

bene

bene audiunt in atrophia infantum, si quotidie per dimidiam horam balneo tepido ingrediantur: interneque detur anima rhei cum liquore terræ foliatæ tartari 30. Plura de atrophia meseraica in morbis infantum; de hectica in phthisi pulmonali: alvus libera servanda pomis coctis, prunis, manna, tamarindorum & cassiæ pulpa vel & rhabarbaro.

Cap. XII.

DE APHTHIS.

§. 114.

Mentio sæpe facta de aphthis, symptomate in fine morborum auctorum, putridorum, inflammatoriorum chronicorumve, sc. phthiseos, hydropisve satis frequente, subinde critico benignove, sæpissime maligno funestove, peculiarem quamvis brevem postulat pertractationem.

§. 115. Aphthæ ergo dicuntur pustulæ albicantes omnibus oris partibus, nec raro respirationis organis, oesophago, ventriculo, totique canali intestinali insidentes, deglutionem impedientes, medicamentorum alimentorumve ingressum in venas lacteas denegantes. Infantes inde ubera sugere non possunt & papillas mammasque nutricum iisdem afficiunt ulcusculis.

§. 116.

§. 116. Diversæ tamen sunt ab aphthis recens natorum, ab Hippocrate descriptis, Galeno notis & a Celso periculosissimis habitis: definiebantur enim exulcerationes superficiariæ præ partium mollitie ortæ. Hæ in pueris periculosissimæ non ita in viris habentur a Celso. Quod nostris aphthis minime convenire nemini non notum est. Aphthæ enim infantum raro, adultorum sæpissime nostro ævo lethales evadunt.

§. 117. Non tantum oris, sed aliarum partium externarum superficiaria ulcuscula & cutis rubedo in infantibus & puerulis oriuntur. Aphthæ etiam apud plebeculam dictæ.

118. Pro causa agnoscunt partium laxitatem, copiam humoris pituitosi serosique acrimoniam & corruptelam. Conamine critico quamvis imperfecto & lento fiunt semper cum magna virium dejectione & subita morbi mutatione sive ad salutem sive ad mortem, circa nonum diem.

§. 119. Benignæ sæpe alvi solutione & continua expuitione separantur atque expelluntur, insequente salivatione non raro sanguinolenta, malignæ vero crassæ albæ licet, pejus si fuscæ cinericeæ, splendentes lardi adinstar, nigræ, gangrænosæ ulcerosæve decidunt, aliquando sed & renascuntur ad tertiam quartamve vicem.

§. 120. Aphtharum prodromi in malignis sunt somnolentia, singultus, nausea, querela perpetua de ardore & pondere circa præcordia, linguæ rubedo maxima.

§. 121. Ad curam hujus ſymptomatis requiruntur & externa & interna; quæque iterum varia in infantum & adultorum aphthis. In infantibus enim commendatur aqua frigida, urina propria cum melle roſarum pro oris ablutione. Interne abſorbentia cum rheo 31. omnem adimplent paginam. In adultis externe laudantur decoctum raparum vel dauci ſativi cum pauco vino, ſale prunellæ &c. 32. dein mucilago ſeminis Cydon. Boræ Ven. &c. 33. interne nihil præſtantius decocto corticis peruviani. Aphthis vero deciduis nec redeuntibus, catharticum rhabarbarinum aliquoties detur.

CAP. XIII.

DE EMETICIS EXHIBENDIS IN MORBIS PUTRIDIS.

§. 122.

Ex communi fere medicorum ſententia, cura febrium putridarum malignarum per emeticum aggredienda, præſertim ſi æger vexatur continua nauſea, ructibus nidoroſis foetidis, vomendi conatibus, vertigine, oris amarore & lingua ſordida, prægreſſa venæ ſectione in valde plethoricis, ubi ſanguinis nimia agitatio a medicamentorum vi præcaveatur.

§. 123. Atqui & nauſea & vomitus adſunt in inflammatione ventriculi atque etiam fiunt per

con-

consensum, capite aliisque partibus male affectis, nec arguunt semper colluviem circa primas vias.

§ 124. Damnatur ergo emeticum ubi minima inflammationis suspicio, uti in quibusdam epidemicis & febribus malignis petechialibus fit, quod toties docuerunt cadaverum obductiones. Attendendum ergo quam maxime ad pulsus duritiem, nec non ad ventriculi ardorem & cardialgiam.

§. 125. Præterea non necessaria censentur emetica ubi signa 122. desunt, nec prægressa fuerit ciborum ingurgitatio; sed etiam dentur indicia, miasmatis potius in sanguine quam in ventriculo hærentis.

§. 126. Caute quoque mercandum in emeticis exhibendis cum hæmopticis, herniosis, & cum foeminis procidentiæ aut prolapsui uteri obnoxiis. Nam sicut emesis ubi conducit, non tantum prodest tanquam evacuans, sed etiam quatenus viscera abdominalia concutit materiamque in iisdem contentam solvit atque exprimit, sic ubi non convenit ob violentos viscerum succussus & humorum congestiones circa caput timenda.

§. 127. De tempore exhibendi emetici facile convenit inter medicos. Absente febri emeticum dabat Hippocrates. Inde & communiter apyrexias tempore porrigitur in febribus intermittentibus. In febribus continuis putridis optime datur in initio copia bilis turgente circa præcordia cum anxietate & debilitate inde orta. Sydenha-

mus

MUS omni morbi tempore dabat urgente indicatione. Immo & in fine febrium nervoſarum aliquando neceſſaria, ubi ſuffocationis periculum imminet a copioſa pituita fauces obſidente.

CAP. XIV.

DE FEBRI ARDENTE INFLAMMATORIA.

§. 128.

Febris ardens cauſus eſt febris continens ex remittentium genere, quæ ab urente ad tactum calore ſic dicitur. Inflammatoria quoque audit, ſi ſtatum ſanguinis ſpiſſi latice ſuo orbati ſpectas. Tandem & bilioſa ob copiam bilis nonnunquam in primis viis ſtabulantem.

§. 129. Symptomata præcipua ſunt cephalalgia vehementiſſima, lingua aſpera, fiſſa, nigra, tuſſicula ſicca, reſpiratio anheloſa, vox clangoſa, ſitis inexplebilis, nauſea, conatusque vomendi: inquietudo, ſopor, delirium ferox, phrenitis, vigiliæ pertinaces, urina pauca, ruberrima; alvus nunc nimis ſtricta, nunc nimis ſoluta, quod inter peſſima ſigna. Morſus interdum ventriculi, pulſus magnus, durus, velox, exacerbatio fortis horis veſpertinis & quidem maxima tertio quovis die. Convulſio, ſingultus, fœcum & urinæ involuntaria emiſſio; mors.

§. 130.

§. 130. Causæ occasionales Plethora, solis æstuantis calor, exercitia immodica, venus nimis culta, abusus calefacientium, spirituosorumque, corporis refrigerium, potu frigido subito ingesto post ejusdem æstum. Sanguis vero spissus, densus, inflammatorius causam morbi essentialem constituit. Juvenes & robustos aggreditur, senibus autem perniciosissima.

§. 131. Si legitima raro diem transit septimum: plerumque enim citius vel ad mortem vel ad salutem ducit. Critice enim solvitur non raro post quartum diem, narium hæmorrhagia copiosa, fluxu menstruo in foeminis, hæmorrhoid. in viris. Diarrhoea biliosa, raro admodum sudore, sputum cruentum, mixtus talis, hæmorrhagia parca stillatim fluens ante quartum diem lethalia censentur.

§. 132. Methodus medendi consistit, quod copia bilis, si indicia de ejus præsentia testantur, nausea nempe continua, oris amarore, anxietatibus circa præcordia, emetico evacuetur statim ab initio vel & leniori laxante: dein singulis vel saltem alternis diebus injiciatur clysma ex sero lactis tamarindato.

§. 133. Venæ sectio pro magnitudine duriticve pulsuum, sanguinis majori minorive crassitie, ejusve abundantia, ætate ægrique temperamento, ad tertiam quartamve vicem primis diebus celebranda. In capitis dolore atroci & delirio, hirudines quoque ad tempora adhibendæ.

§. 134.

§. 134. Cæterum valent pediluvia, epispastica potius quam vesicantia, quæ certe non nisi sanguinis evacuationibus necessariis institutis, ejusque orgasmo valde sedato applicanda. Vapores aquæ tepidæ aceto mixtæ pro faucibus, naribus totoque corpore fovendis, Epithemata ex aceto rosato ad frontem conducunt. Narium hæmorrhagia quoque non rite procedens, vapore aquæ calidæ naribus supposito promovenda. E contra si nimia atque debilitans quod raro, turundis & linteaminibus solutione vitrioli madidis & in nares intrusis sistenda.

§. 135. Medicamenta sint acida vegetabilia fermentata, destillata probe diluta cum nitrosis additis 34. emulsiones 29. frigidiuscule epota, caute tamen si visceris alicujus inflammationis metus. Aer in cubiculo assidue renovandus, fenestris undique patentibus in æstate saltem: refrigerandusque aceto pavimentis insperso. Lectus quotidie reficiendus, ægerque ex eo eximendus per horæ quadrantem.

§. 136. Fuit & interdum quod per sputa solvatur morbus, quæque subinde stertorem inducunt cum magno suffocationis periculo, quæque aliquando optima spe affulgente, dum & æger & adstantes & medicus ipse rem in vado esse credunt, funesto eventu tragoediam claudit.



CAP. XV.

DE FEBRIUM SYMPTOMATIBUS PRAECIPUIS

§. 137.

Non sufficit medico vel ægroto morbum tantum curare, nisi symptomata sæpius non critica, quæ statim ab initio morbi oboriuntur, lenire & mitigare satagit, ut vires pures maneant sufficiantque ad morbum sustinendum. Sunt autem, frigus, calor, sitis, & sudor; nausea, vomitus, diarrhœa & tormina ventris: anxietates, debilitas, singultus & convulsiones. Cephalalgia, vigiliæ, coma seu sopor, delirium & phrenitis. Hæmorrhagia, mictus cruentus, dysuria, aphthæque. De quibus quamvis jam hinc inde actum non incongruum videtur, sparsa in unum colligere caput, ut uno intuitu quærentibus appareant.

§. 138. Frigus autem quod subinde maximum, præsertim in febrium intermittentium accessionibus, non sine periculo, vel & mortis metu, optime lenitur potu tepido aquoso cum pauco vino; corpus modice stragulis tegendo: regioni epigastricæ spiritum vini rectificatum cum aliquot guttulis olei ætherei menthæ remixtum in linteo duplicato calide applicando.

§. 139.

§. 139. Calor & ſitis extinguuntur venæ ſectione, ſi pulſus durus plenusve: clysmate refrigeranti ex ſero lactis tamarindato, julepiis nitroſis 35. emulſionibus 29. potu frigidiusculo per ſuccum citri acidulato, affatim pauca vero quantitate ſingulis vicibus hauſtu. Taleolae citri cum ſaccharo ſugendo & maſticando, tum & frequenti oris collutione, aqua ſimplici.

140. Sudor non criticus cohibetur ſurgendo e lecto, corpus a ſtragulis liberando, aerem frigidiusculum per feneſtras apertas admittendo: idem conducit in delirio phrenitico & comate. In hoc ultimo affectu quoque clyſter aeris applicandus, veſicantia in variis locis corporis adhibenda.

141. Nauſea & vomitus nec non ructus & flatus ſi non ab inflammatione ventriculi, aliorumve viſcerum adjacientium, quod maxime attendendum; lene requirit emeticum, quod & in fine morbi conducit, dum a copia pituitæ oeſophagum obridentis, ſuffocationis inſtar periculum. Si vero uti fit, a camphora ſimilique medicamento, ab iisdem deſiſtendum, ſi a ſpasmo, nihil melius valet quam antiemeticum Riverii 36. Interdum ad laudanum confugiendum. Ubi inflammatio ſubeſt, venæ ſectio ſola antiemeticum eſt.

§. 142. Diarrhoea debilitans ſiſtitur decocto albo Sydenhami 37. & anima rhei cum liquore anodino minerali Hoffmanni 38. tum enema quoque injiciendum cum Diaſcordio Fracaſtrii 39. Valent etiam epithemata ex herbis aromaticis in

vino coctis 40. & cum sacculis bene expressis abdomini imposita, quibus etiam medemur torminibus & ventris doloribus haud raro satis molestis in acutis & putridis.

§. 143. Anxietas si a suburra biliosa, uti nausea & vomitus curanda; si vero a sanguine spisso & inflammatorio pulmones obsidente, optime succurritur vapore aquæ calidæ aceto mixtæ, ore sæpius hausto.

§. 144. In summa debilitate & pulsu admodum languente, cardiaca sint vinum rhenanum affatim haustum, liquor. C. C. succinatus, guttatim omni bihorio exhibitus. Decoctum corticis.

§. 145. Singultus & convulsiones requirunt moschum. Emplastrum de theriaca subinde quoque valet abdomini impositum. Si vero inflammatio ventriculi adest aut hepatitis, vesicans loco affecto adhibitum optimum remedium.

§. 146. Capitis dolor atrocissimus præter venæ sectionem poscit, hirudinum applicationem ad tempora & pone aures, frontale, sc. linteum aceto rosaceo madidum sæpe renovandum. Pediluvia, quæ omnia locum etiam habent in delirio phrenitico & vigiliis.

§. 147. Hæmorrhagia critica vapore aquæ calidæ naribus imposito promovenda, symptomatica vero aut minus profusa, solutione vitrioli albi, & turundis ex linteo carpto probe hac imbutis in nares immittenda. Acetum cum campho-

ra

ra naribus vel & ſcroto applicandum, alvus clysmate ſolvenda, veſicatoria ſuribus adhibenda. Surgat & æger e lecto, quod & in mictu cruento præcipue commendatur ut renes minus caleant.

§. 148. Dyſuria lenitur oleoſis. 41. Si a veſicantibus decocto albo 37. & cantharidum amotione. Aphthæ curantur modo Cap. 12. tradito. Oportet vero addere, quod in malignis admodum & ulceroſis bonos effectus viderim ex collutione inſtituta cum aqua calcis cui liquamen myrrhæ additum.

§. 149. Occurrit demum quod in febribus a longo ſæpe decubitu gangræna oriatur. Huic obicem ponendum lotione aſſidua dorſi & lumborum cum aceto aquæ frigidæ mixto, continua ſitus mutatione, ſuperque alutam decumbendo. Gangrænæ autem jam præſenti medetur fotus decocti corticis ſaturati, cutis ſcarificatione, & ad ſuppurationem unguenti Baſilici ope ductione.

Cap. XVI.

DE POTU FRIGIDO IN ACUTIS.

---

§. 150.

Potus frigidus olim a Galeno, Avicenna commendabatur in febribus, atqui ob nimiam aquæ

 crudi-

cruditatem minus aptum hodie censetur. Verum enim vero cocta & frigide epota parvis haustibus optime pro mea experientia valet. Neque enim magis a potu frigido timendum quam a potionibus medicatis frigide epotis. Ex naturæ enim instinctu omnes febrientes frigidam appetunt.

§. 151. Caute tamen mercandum cum potu frigido in initio aut & fine morbi. In statu potius conducit. Noxius etiam est ubi viscera inflammata, talique in casu frigidæ tepida semper præferenda. Tum minus apta habetur frigida in summa debilitate & in iis qui nervis admodum mobilibus donati: senibus, pueris frigidoque temperamento gaudentibus; in nimia morbi cruditate & viscerum obstructionibus & in glandularum indurationibus non adeo tuta est frigida potatio.

§. 152. Robustis præ cæteris, juvenibus, æstate: temperamento calido præditis, uti & iis qui statu sano potui frigido assueti, quam maxime conducit. In putridis ob sanguinis dissolutionem majorem Swietenio frigidae arridet potus, quia hic non sunt metuenda ejusdem coagula.

§. 153. Neque tantum interne sed & externe valere frigidam prudenter adhibitam compertum habeo. Aqua frigida sæpius de die corpus abluere fibras roborando multum valet ad præcavendam gangrænam a decubitu. Acetum frigidum fronti applicatum, delirium & cephalalgiam sedat. Frigida capiti adhibita maniam sæpius sanavi.

Cap.





CAP. XVII.
DE FEBRI ERYSIPELACEA ET URTICATA.

§. 154.

Leviſſima atque raro maligna aut epidemica ex eruptivis febribus primo ſe offert, febris eryſipelacea, quæ incipit cum horrore, frigore, ſiti, capitis dolore, elapſisque tribus diebus cutis fit rubedo cum tumore parum elevato, digitis cedente, hisceque amotis iterum inſurgente, agmine veſicularum ſtipato, in quavis parte corporis, præcipue in cruribus, quando morbus mitior, vel in facie aut capite, quando gravior.

§. 155. Si faciem occupat ex improviſo palpebræ clauduntur fere, & totum caput in tumorem, dolore & rubore attollitur denſo veſicularum ordine comite; nec raro inde delirium & coma. Eruptione eryſipelacea facta, febris ut plurimum ceſſare ſolet.

§. 156. Nonnunquam eryſipelas absque ulla febri oritur & cutis deſquamnatione ut plurimum poſt aliquot dies terminare amat. Alia datur ſpecies quæ ſe prodit eruptione puſtularum minimarum, ab urticarum puncturis non multum abludente, moxque iterum recedente, cum pruritu moleſtiſſimo.

§. 157. Caufam fi effentialem fpectes, confiftit in fero acri biliofo: fi occafionem, in aere humido pluviofo, animi pathemate vehementiori, in transfpiratione quocunque modo impedita & fpirituoforum abufu. Familiaris eft fcorbuticis, fæpiusque iisdem obvenit. Aliquando fit a metaftafi. Hinc caute agendum cum repellentibus.

§. 158. Cura a venæ fectione inchoanda præfertim in plethoricis & fi caput obfidet, ibi enim femper periculum majus protendit. Hic & pediluvia in ufum vocanda. Laxantia dein exhibenda; quod fi dein adhuc pulfus durus aut plenus, ad fanguinis miffionem denuo deveniendum. Conducunt autem medicamenta temperantia nitrofa cum parum camphoræ. Parti affectæ imponantur cucuphæ ex herbis refolventibus leniter aromaticis, farina fabarum cum camphora.

§. 159. Suppuratio hic femper metuenda feu vitanda, fiunt enim exulcerationes peffimæ, quæ & gangrænæ metum inducunt. Cui fæpe originem præbet mala & præpoftera medicatio per oleofa & pinguia topice adhibita. Præpeditur vero per totum herbarum amararum, corticis peruviani addito fpiritu vini. Oportet ergo ut veficulæ quantocius aperiantur, ne ab acri fero partes corrodantur fubjacentes. Hic autem humor fæpe adeo vifcofus eft, ut cruftas formet diu manantes.

§. 160. Interdum eryfipelas fubito retrocedit, rubedo evanefcit cum pectoris oppreffione, delirio,

lirio, comate, vomitu, qui tamen hic minime emeticis proritandus, ſed ſtatim veſicantia ad ſuras & brachia adhibenda. Aliter enim brevi actum erit de ægroto.

Cap. XVIII.
DE FEBRI SCARLATINA.

§. 161.

Scarlatina benigna ſeu ordinaria ſatis analoga eſt febri urticatæ ſeu eryſipelaceæ, adeoque levis eſt morbus ut fere non cadat ſub curam medicam, infantesque ut plurimum adeo mite afficit, ut non niſi poſt cutis efflorefcentiam, ejusdemque poſt aliquot dies deſquammationem ſe ægrotaſſe percipiant.

§. 162. Aliter vero prorſus ſe habet res cum ſcarlatina maligna dicta; a Mortono, Huxhamo, de Haen viſa, a nemine autem quod ſciam accuratius quam a Plencis deſcripta; quamvis cum eo non conſentiam de ſeminio verminoſo ut cauſa eſſentiali & ſcarlatinæ aliorumve exanthematum ſtabilienda.

§. 163. Utraque & benigna & maligna incipit cum horripilatione, laſſitudine ſpontanea, cæterisque febrium inchoantium ſymptomatibus. In maligna vero major adeſt capitis dolor, ſopor, conatusque vomendi, ipſeque vomitus. Quod

 inter

inter pessima habebatur in epidemia æstate 1777. hyemeque 1778. *Havniae* depopulante. Deglutitio difficilis cum angina & faucium exulceratione; tonsillarum & glandularum colli tumore, nec non loquela admodum depravata. Respiratio fit anhelosa cum pectoris oppressione. Ab HUXHAMO & PLENCIS annotantur vel ingruente vel increscente morbo, alvi dejectiones, deliria & phrenitis, quae tamen in epidemia Havniensi non contigit mihi videre. Haemorrhagiam quoque quidam viderunt non ego. Facies adeo diversa morbi non tantum in una aliave regione, sed & in una eademque epidemia.

§. 164. Die autem secundo, aliquando citius superveniunt exanthemata, maculas rubras inæquales exhibentia. In nostra epidemia statim ab initio cutis intense rubebat tota cancrorum coctorum adinstar, simulque cætera concomitabantur symptomata, vomitu tamen cessante post eruptionem. Cæterum rubedo primo occupat faciem, collum, pectus dein & extremitates.

§. 165. Quidam sine cutis efflorescentia, aut ejusdem desquammatione, satis severa afficiuntur angina, attamen hi mitius quam qui simul scarlatina correpti, ægrotabant apud nos. Hoc vero præcipue adultis, rarius infantibus accidit. In genere etiam observandum, scarlatinam benignam magis familiarem esse infantibus, malignam vero adultis non parcere.

§. 166.

§. 166. Non omnibus æque rubebant fauces, ſed pituita adeo implebantur, ut ſuffocationis periculum inſtare ſubinde videretur. Ex naribus etiam valde inflammatis & excoriatis continua ſtillat acerrimus ichor, aut materia ſanioſa adeo acris ut labia & genas corrodat.

§. 167. In ſcarlatina maligna quid putridi latet, unde pulſus parvus celer, urina pallida, ulcera aphthoſa, nec non parotides quamvis ſuppurantes, lethales obſervantur. Sic in epidemia Havnienſi, per quatuor hebdomadas, ſi non primis morbi diebus ſuffocati, iisdem languentes peribant.

§. 168. Poſt quartum diem palleſcere incipit cutis ut plurimum, & rubedo evaneſcit, deſquamationeque cutis uti eryſipelas terminatur, ſine ullo conſectario moleſto. In crudiori autem morbo lamellæ integræ & denſæ abſcedunt & ſeparantur, in iis præſertim quibus morbi decurſu puſtulæ albæ miliaribus haud diſſimiles, vel & veſiculæ ampliores vacuæ tamen, bullas a combuſtione repræſentaliter exurgunt.

§. 169. Dum res jam in vado videtur, a minimo errore in ſex rebus non naturalibus, vel ab auræ frigidioris afflatu, corpus intumeſcit, leucophlegmatia immo & hydrope afficitur, præcipue in iis quibus cutis decorticatio maxima. Ex hoc conſectario plura moriuntur quam ex morbo primario. Convulſiones quoque non ſemper funeſtæ

neſtæ inter conſectaria ſcarlatinæ malignæ viſæ ſunt.

§. 170. Ad curam quod attinet, benigna teſtibus SYDENHAMO, DE GORTER, nulla eget medicatione niſi abſtinentia a carnibus, & frigoris vitatione. Maligna vero varie tractanda pro genio morbi. Sic in epidemia Havnienſi ſubinde dabatur locus venæ ſectioni, ſc. in plethoricis & ubi pulſus durus cum aliis inflammationis ſignis: atqui ubi putredinis criteria, minus tuta erat. Sed laxantia, antiſeptica, acidaque in Julepiis; ſpiritus Mindereri in ejuscemodi febribus exanthematicis a BOERHAVIO, SWIETENIO, PRINGLE, ELLERO aliisque in arte proceribus commendatus, bonum præſtat effectum, alternatim exhibita. Clysmata etiam ſuam afferunt opem, uti & ſinapismi & pediluvia quotidiana. Gargarismata quoque tutius collutiones ob faucium inflammationem optime juvant.

§. 171. Nihil magis præſentaneum vero affert ſolamen, quam ſtatim veſicans ad jugulum adhibitum. In ultima epidemia ſatis erat emplaſtrum de meliloto cum quarta parte emplaſtr. veſicantis ad jugulum nuchamve applicare. Tanta enim erat cutis inflammabilitas, ut ſtatim bullæ elevarentur. In quibusdam etiam magno cum emolumento ſecundum PERCIVALIS methodum fomenta ex partibus anaticis aceti ſtillatitii & ſpiritus vini camphorati. Supra pannum laneum ſæpius de die renovanda adhibebantur, in iis præ-

ſertim

ſertim qui vel emplaſtra veſicantia metuebant vel peculiari idioſencraſia pinguia tolerare nequeunt. Nonnunquam epithemata ex herbis emollientibus leniterque aromaticis in lacte cortis præferenda, præſertim ob cutis valde ſenſibilis fomentum acre haud ferre valet.

§. 172. Tumor hydropicus leucophlegmaticusve ſequens, per diuretica 42. interpoſitis ſubinde catharticis mercurialibus 43. nec non lecti tepore diſcutiebatur ut plurimum: in infantibus forma liquida 44. omnem adimplet paginam.

§. 173. Ad ſcroti tumorem epithemata ex herbis aromaticis in vino rubro coctis proficua inveni. Ad tumores glandularum vero colli, nec non parotides non ſuppurantes linimentum volatile 45. quotidie bis vel ter inunctum, non neglectis catharticis mercurialibus 43. multum profuere.

CAP. XIX.

DE FEBRI MILIARI ET PURPURA.

---

§. 174.

Febris miliaris ſic dicta, ob exanthemata parva ſeminis milii haud diſſimilia in cute apparentia, eſt vel alba, quæ deterior, vel rubra, quæ beni-

benignior, aliquando veſiculas albas rubris culi-cum ſtigmatibus ſimilibus intermixtas vidi.

§. 175. Puerperis ſæpiſſime efflorefcere ſolent, præcipue albæ cum febri ſatis valida, non nunquam & ſine ulla erumpunt febri; quam maxime autem ſexum ſequiorem aggreditur, præterea debilibus hyſtericis & hypochondriacis familiaris eſt.

§. 176. Incipit hæc febris cum horripilatione, horrore, pectoris oppreſſione ſenſuque formicationis & pruritus in toto corpore. Odorque adeſt peculiaris quem SWIETEN fracidum ſubacidulum vocat vapidi inſtar aceti, quæ excipit 4to 7mo 9no 11mo 14to 17mo (adeo variat eruptionis dies) eruptio puſtularum albarum vel rubrarum ſtatim in veſiculas albicantes abeuntium; quæ iterum poſt ſeptem dies deſquammatione cutis evaneſcunt. Primo in pectore, dein in extremis, nunquam in facie conſpiciuntur.

§. 177. Hæc eruptio miliaris a quam plurimis critica habetur, dum animadvertunt ab eruptione facta febrim mitigari, aliaque ſymptomata ſæpiſſime ceſſare. Alii cum HAENIO pro novo morbo & antiquis ignoto aſſumunt, ergo & ſymptomatico, utpote noſtro vivendi mori ſc. regimini calidiori, hypocauſto calido, potui caffée debito.

§. 178. Negari equidem non poteſt, & cauſis dictis & aliis etiam, uti vitæ lautiori, ſedentariæ, potibus tepidis, venæ ſectionis neglectui

in

in gravidis, alvique obſtructioni morbum ſuos debere natales, vel ſaltem inde ſeverius afficere, ſed ideo miliaris non magis horum productum eſt quam variolæ qui regimine frigidiori mitiores fiunt faciliusque curantur quam regimine calido.

§. 179. Dantur ergo miliares idiopathicæ a motu ſolius naturæ oriundæ, ut per vias tranſpirationi ſudorive dicatas, impuritates e ſanguine eliminentur. Dantur & ſymptomaticæ, & a pravo regimine vel etiam absque prophaſi ulla ſenſibili prorumpunt ſine ſymptomatum imminutione. Talem eruptionem alteram ſequentem vidit HUXHAMUS in febribus lentis & nervoſis, cum ſudore ſymptomatico admodum debilitante.

§. 180. Idiopathicæ & criticæ ſi retrocedunt peſſima inducunt ſymptomata, delirium nempe, tendinum ſubſultus, diarrhoeas moleſtiſſimas præcipue in puerperis, inde enim & lochiorum impeditur fluxus, etiam & ſine papularum regreſſione aliquando & hæc fiunt, cum magno ægrotantium diſcrimine.

§. 181. Cæterum miliaris benigna ſatis facile curatur, ſc. per venæ ſectionem in plethoricis, aerem frigidiuſculum, potumque talem copioſum acidum, pulveres nitroſos cum ſtibio diaphoretico. No. 5.

§. 182. Atqui maligna, ubi reſpiratio difficilis nempe, aut etiam pulſus durus, exanthematibus expulſis licet, majorem requirit medicationem. Tunc enim venæ ſectio repetenda aliquoties,

ties, veſicantia ad ſuras applicanda, quæ certo non omittenda in vigiliis & miliarium retrocesſione. Cæterum ſymptomata varia pro re nata aptis armis oppugnanda. Diarrhœam non niſi cautiſſime ſupprimenda & potius cardiacis idoneis vires ſuffulciendæ.

183. Prophylaxis commendanda gravidis, ut miliarem in puerperio effugiant febrim, ſc. per venæ ſectionem; alvum liberam catharticis lenioribus ſervandam: abſtinentiam a potu caffée, ejusque loco ſubſtituendo potum frigidum ex cereviſia tenui affatim hauſta, vinique rhenani hauſtum ſubinde. In puerperio corpus leviter ſtragulis tegatur: tepor lecti aere frigidiusculo temperetur. Cubiculum leviter admodum hyeme caleſcat.

Cap. XX.

DE MORBILLIS.

§. 184.

Solent plerumque rei medicæ ſcriptores prius de variolis dein de morbillis agere, atqui mihi ordinem communem invertere placuit dum e levioribus eruptionibus ad graviora procedo. Morbillos autem cæteris paribus, morbum non adeo periculoſum eſſe quam variolas, cuicunque, qui vel e limine artem ſalutavit medicam, patet.

§. 185.

§. 185. Morbi ergo, morbus minus lethalis ſed æque familiaris infantibus ac variolæ, de quibus capite ſequente, pariterque contagio communicantur & ſemel tantum ut plurimum hominem corripiunt, ſæpe ſporadice, ſatisque benigne, ſæpius epidemice & maligne graſſantur.

§. 186. Sunt autem ſtigmata in cutis ſuperficie pulicum morſibus quam ſimillima apparentia, non aut vix elevata, quo a variolis diſtinguuntur, quæ magis elevantur morbi decurſu, rotundioresque ſunt & ad ſuppurationem ducuntur, dum morbilli exareſcunt tantum & deſquammantur uti ſcarlatina & purpura. Aliquando ſimul & ſemel idem ſubjectum afficiunt & variolæ & morbilli. Eos qui olim morbillis laborarunt, iisdem affici iterum poſſe ſcribit SCHACHT. Bis eidem ſe medicum fuiſſe ait DE HAEN.

§. 187. Morbus tria decurrit ſtadia, contagii ſc. ſeu ebullitionis, eruptionis & exſiccationis. Singulum ſtadium ſpatio perficitur trium dierum, ergo novem diebus morbus finitur ſive morte ſive vita. Tardius vero a conſectariis, peripneumonia ſc. phthiſi & hydrope.

§. 188. Febris ergo eruptionem præcedit, tribus primis diebus ut plurimum, cum tuſſi, ſternutatione repetita, humorisque acris ex oculis ſtillicidio, faciei tumore & moleſta deglutione ſeu faucium dolore, quæ ſymptomata ad tertium usque increſcunt diem. Adſunt & præterea nauſea, conatus vomendi, ipſeque vomitus. Lingua eſt

 alba

alba ac humida; propenſio adeſt ad ſomnum, diarrhoea, delirium nec raro hæmorrhagia, qua pathemata circa caput & fauces multum minuuntur, ergo non ſupprimenda, niſi virium proſtratio cum labiorum pallore inde ſequatur: ſed potius aquæ tepidæ vapore naribus ſuppoſitæ promovenda.

§. 189. Membrorum tenſio, oſcitationes & pandiculationes, debilitas ſumma, nauſea & vomitus violentiores, inquietudo maxima, vertigo, capitis lumborumque dolor, pulſus celer & parvus, reſpiratoque talis, urina pallida, ſomnolentia nimia, convulſiones, delirium phreniticum, oculi admodum rubri, formicatio cutis pungens, angina ſeverior, vocis raucedo, tuſſis dolorifica, ferina, ſuffocationem minitans fere, morbillos mali moris protendunt.

§. 190. Tertio aut quarto die alterum incipit ſtadium, atque erumpunt primo in fronte, totaque facie maculae rubræ 186. deſcriptæ, quæ ſæpius racematim coëunt. Tunc iisdem maculis pectus, cæteraque membra teguntur, latioribus ſc. magisque rubentibus, in pectore atque in dorſo copioſiſſimæ ſunt.

§. 191. Facta eruptione ſymptomata plerumque non adeo mitigantur ac in variolis. Vomitus vero communiter ceſſare ſolet: quin & hic ſæpe poſt eruptionem durat. Subinde etiam omnia ſymptomata ingraveſcunt non ſine periculo.

§. 192.

§. 192. Tertium ingreditur ſtadium ſexto die ſi boni moris & regulares morbilli; tunc enim exareſcere incipiunt primo in facie; dein in toto corpore, octavo vel nono die omnino evaneſcentes. In crudiori autem morbo, undecimo demum, quando et diarrhoea ſponte oborta morbi finem imponit.

§. 193. Retrocedunt interdum morbilli vel a malo regimine, vel ab aere frigido imprudenter admiſſo, vel demum ab acrimonia miaſmatis morboſi, cum febris anxietatisque incremento, nec non diarrhœa bilioſa aut dyſenteria. Interdum miaſmate ducto ad encephalon, delirium, coma; ad pulmones quod frequentius, peripneumonia ſupervenit, quæ vel brevi necat; vel phthiſi chronica vel hydrope conſumpti. Sæpe etiam ophthalmia inſequitur pertinax.

§. 194. Cura demum pro triplice ſtadio, triplex inſtituenda & febris ante eruptionem ut catarrhalis benigna fere tractanda; diæta tenui, emulſionibus pectoralibus 46. aliquando ad laudanum confugiendum quo tuſſis leniatur. Ad hanc enim quam maxime attendendum toto morbi decurſu. Cæterum pulveres temperantes No. 5. quam optime hic commendantur. Potus ſit acidulus tepidusque. Cum acidis mineralibus caute hic mercandum, nocent enim pectori. Somnolentia toto morbi tractu præpedienda quocunque licet modo.

§. 195. Venæ ſectio in tenellis quidem audacter inſtituenda ſi pulſus durus, febris valida, uti plerumque eſt, pectoris vel lateris dolor: nec tantum in hoc ſtadio ſed & ultimo ubi indicatur: quin imo & in peripneumonia morbillorum ſequela ſanguinis miſſio inevitabilis.

§. 196. Primæ viæ quoque vel per emeticum, vel per laxans pro re nata expurgandæ; poſt eruptionem vero alvus libera per clysma alternis diebus injectum ſervanda. Pediluvia tepida quoque laudantur.

§. 197. Si vero præ nimia debilitate aut febris languore eruptio circa quartum diem haud rite procedat, cortex peruvianus, camphora & moſchus; quin & ſolutio tartari emetici exhibenda: veſicatoria ad ſures applicanda.

§. 198. Atqui morbillis rite effloreſcentibus, nihil aliud moliendum, quam ut ægri ab aere frigido arceantur, facili enim de cauſa morbilli retropelluntur, cum ſummo peripneumoniæ metu uti dictum. Quin & convaleſcentes cavere debent, ne nimis præmature ſeſe frigori committant.

§. 199. In hoc ſtadio etiam quam maxime ad ſymptomata attendendum graviora videlicet. Oculi a luce vividiore arcendi, ſæpiusque abluendi cum lacte tepido aquæ roſarum mixto. Si nimis rubeſcant, hirudines ad tempora applicentur. Cataplasma ex pomo ſub cineribus aſſato cum parum

rum camphoræ & croci a ROSENSTENIO laudatum in ophthalmia a morbillis relicta sæpissime bono cum successu adhibui, uti & vesicantia ad nucham, nec non fonticulum in brachio.

§. 200. In angina molesta valent gargarismata tepida, cataplasmata emollientia vel & epispastica, aut rubefacientia collo circumdata, nihilque plus solaminis affert quam vapor aquæ tepidæ sæpius haustus; quo & tussis & raucedo quam maxime leniuntur, & hic venæ sectio aut si eidem non locus, hyrudinum applicatio haud negligenda.

§. 201. Morbillis exarescentibus circa septimum diem, aqua laxativa viennensis exhibenda, & alternis diebus dein alvus similibus laxantibus sollicitanda, præcipue si nulla diarrhœa critica. Bechica & pectoralia interim minime negligenda adhuc.

202. Si vero circa hoc tempus æger anxie respiret, retrocedentibus morbillis atque metastasi facta ad pulmones, statim vena secanda; dein ad locum magis dolentem supra pectus vesicans adhibendum: vel etiam ad dorsum inter scapulas, quæ vero in delirio potius ad extrema apponantur. Tum dentur interne oxymel squilliticum cum aliquot granis sulphuris aurati antimonii. Si vero ad intestina delabitur morbus cum torminibus & diarrhœa biliosa, clysmata ex decocto dilutiori corticis cum aceto & camphora, optime putredini resistunt.

§. 203. Inoculatio morbillorum proponitur ab HOME commendaturque præcipue ad tussim in hoc morbo præcedendam, ejusque consectariam peripneumoniam. Atqui nondum hæc enchyreisis fautores invenit, nec æqua sorte digna censetur ac in variolis.

CAP. XXI.
DE VARIOLIS.

§. 204.

Ultima jam sequitur febris ex eruptivarum genere scilicet variolosa cum variolis, quæ ob summam perniciem post RHASIM a SYDENHAMO, BOERHAVIO, HUXHAMO, DE HAEN, TRALLESIO, TISSOTO habenda erat, & ex hisce fontibus potius haurienda quo manca mea suppleantur.

§. 205. Variolæ autem sunt sporadicæ, epidemicæve, benignæ vel malignæ, regulares & anomalæ; naturales seu artificiales, hæ raro admodum mali moris. Benignæ ut plurimum nulla egent medicina, in malignis vero sæpe plus valet ante malum. Dantur etiam spuriæ sic dictæ.

§. 206. In genere sunt distinctæ spatio relicto intermedio; cohærentes magisque junctæ inter se; confluentes demum, nullum spatium relinquentes intermedium, quæ & sæpissime vesiculares ichore acri plenæ & totam faciem pergamenæ ad instar tegunt.

tegunt. Anomalae ſubinde maculas nigras habent in ſummitate depreſſæque manent in medio.

§. 207. Quatuor ſtadia regulariter percurrit morbus, contagii ſc. ſeu ebullitionis, eruptionis, maturationis & exſiccationis. Tres impenduntur ſingulis dies, niſi in anomalis, quæ citius vel tardius erumpunt, longioribusque vel brevioribus includunt terminis morbum.

§. 208. In quibusdam omnia ſtadia mite ſatisque benigne decurrunt, in quibusdam iterum cum graviori ægritudine, febrique valida inflammatoria, quæ obſervatur in plethoricis, juvenibus atque athleticis: in aliis demum, ſc. cacochymicis, lue venerea affectis, valdeque debilibus febris magis lenta adeſt cum ſummo languore, cæterisque febris putridæ affectibus. In iis autem maxime timendum a febri ſecundaria quæ ſub ſuppurationis tempus aggreditur.

§. 209. Semel tantum niſi rariſſime hominem infeſtant ſive naturales ſive artificiales variolæ veræ: non loquimur enim hic de ſpuriis cryſtallinisve; ſive in infantia imo & in ipſo utero materno, ſive in alia ætate; ſive pauciores ſive numeroſiores fuerint prima vice. Inde forſan dari plures creduntur quam revera exiſtunt, qui easdem nunquam paſſi ſunt, dum vel & ante nativitatem, vel ob numeri paucitatem non animadvertebantur.

§. 210. Dari vero variolas ſecundas conſtanter affirmant plurimi. VAN DOEVERN eas bis vidit in

propria uxore. Refert & ABILDGAARD in *collectaneis Havniensibus* variolas secundarias se vidisse. Vidi & ego cum D. DE BUCHWALD in muliere, cui ipse BUCHWALD medicinam faciebat in prioribus. Perhibent & alii se vidisse. Atqui de extraordinariis nulla regula. Idem quoque verum est de artificialibus; non enim certissime constat adhuc naturales artificialibus unquam supervenisse, & non immerito creditur, si quid tale unquam contigerit, vel primarias vel secundarias, spurias tantum fuisse.

§. 211. Variolæ sunt contagiosæ, harumque miasma communicatur præcipue per attactum accedendo ad ipsum ægrotum, varioloforum linteamina & vestimenta contrectando: vel dum chirurgus minus cautus lanceola qua varioloso venam secuit alii easdem olim non passo etiam venam incid t. Ab una eademque variolosi contagii materie, diversæ variolarum species oriuntur pro varietate subjecti, temperamenti, ætatis in diversis pueris adultisve.

§. 212. Communicantur demum variolæ per inoculationem, de qua statim tot modis excitari potest variolarum epidemia propagarique. An igitur salva conscientia suadent inoculatores insitionem instituere dum nulla adest variolarum epidemia? Cavendum, ut obiter dicam, ne inoculandi a naturali contagio inficiantur aut jam infecti sint, ne duplice laborent morbo. Eruptio præmatura ante sextum diem post insitionem sc. tale contagium adfuisse arguit.

§. 213.

§. 213. Laſſitudo & ſomnolentia major, minorve eruptionem præcedere ſolent, ſomnolentia major & præcipue in adultis variolas confluentes præſagit. Moroſitas praeterea adeſt inconſueta absque prophaſi evidente. Horripilatio quam excipit calor, cum pulſu celeri fortique ut plurimum, capitis, lumborum dolor, qui ultimus ſi vehemens eruptionem variolarum æquo plus retardat: pectoris oppreſſio & ſuſpiria; faciei inflatio, lacrymatioque continua, nauſea & vomitus, nec non infantibus inſultus epileptici, qui ſi non ab alia cauſa, dentitione puta, variolas benignas futuras protendunt, SYDENHAMO poſtque eum experientia teſte. Atqui tales convulſiones in cæteris morbi ſtadiis præſertim tertio & quarto ſummam protendunt perniciem.

§. 214. Primum hoc ſtadium tertio ut plurimum die, in benignis ſcilicet & regularibus; in malignis vero citius ſecundo, jam alterum ſequitur, quod ſic ſe habet, punctis parvis rubris rotundisque pulicum morſibus ſimilibus, primo facies, caput dein truncus & artus teguntur, ſenſimque magis elevantur puſtulæ numeroque augentur.

§. 215. In variolis regularibus atque benignis facta eruptione ſymptomata mitigantur febrisque ceſſat; in anomalis vero e contra augentur omnia, & coma, delirium, reſpiratio anheloſa & vomitus ſuperveniunt continui ſubinde. Imo & angina, diarrhoea, diſſenteria, mictus cruentus hæmoptoës aliæque hæmorrhagiæ.

§. 216. Sexto ut plurimum die ad perfectam ducuntur ſuppurationem, pureque replentur & in totidem parva apoſthemata, ut more Boerhaviano loquar, convertuntur. Atqui in confluentibus malignis, ichore diſtenduntur potius; maculæ nigræ oriuntur in ſummitate, fovea depreſſa in medio & præeunte gangræna mors inſequitur inter primam & ſecundam ſeptimanam. Quod ſi vero mites atque benignæ, circa nonum diem exareſcere incipiunt & cruſtas formant, quæ ſpatio trium dierum decidunt, nullis aut vix foveis vel cicatricibus relictis, ſi maculas rubras excipias, quæ non niſi inter aliquot ſeptimanas evaneſcunt. Hoc ergo quam maxime diſtinguuntur ſpuriæ a veris, quod priores nunquam ad ſuppurationem perveniunt. Subito enim, levi ſaltem ægritudine prægreſſa apparent, iterumque brevi disparent & quaſi reſolvuntur. Sunt & hæ quamvis raro, epidemicæ; aliquando cum ipſis veris pari paſſu graſſantur.

§. 217. Suppurationis tempore ſi variolæ cohærentes aut confluentes, febris oritur ſecundaria ſeu ſuppuratoria, quæ in malignis & valde confluentibus aliquando ad plures protrahitur dies & putrida fit a puris ichorisve reſorptione, necans ſæpe 24to die a primo morbi inſultu. Tumque adeſt in adultis præcipue ſalivatio, in infantibus diarrhœa. Tumor faciei & faucium, retroceſſionis variolarum periculum; harumque metaſtaſis, humoris ſalivalis inſpiſſatio indies major

jor cum nictu imminentis ſuffocationis. Bonum ſignum eſt, ſi facie detumeſcente tumor manuum & pedum ſubſequatur.

§. 218. Nec hic malorum finis. Relinqunt enim poſt ſe ſæpiſſime cæcitatem, phthiſin, claudicationem perpetuam, oſſium cariem; ulcera ſordida, tumores glandularum maxillarium, parotidum pertinaces vix reſolubiles, nec mercurialibus tam externis quam internis, neque cicutæ, aquæve marinæ cedentes.

§. 219. Ut cura variolarum rite inſtituatur, ad ſingula ſtadia horumque phenomena varia pro varietate ſubjecti ſummopere attendendum, etenim vel febris nimis valida inflammatoria, vel quod oppido raro nimis languida, putridae aut catarrhalis malignæ adinſtar eſt. Hæc calcari, illaque froeno indiget.

§. 220. In primo ergo ſtadio, ſi febris valde intenſa cum pulſu pleno fortique, ſymptomata vehementiora in ſubjecto juvenili plethorico, vena ſecanda ſemel atque iterum pro re nata; in infantibus craſſiori habitu præditis ob venarum parvitatem, vel ob falſa parentum præjudicia, hyrudines ad tempora, nucham & humeros applicari poſſunt, neque tantum in hoc primo, ſed & in ſecundo, imo & in tertio ſtadio, ſc. febri ſuppuratoria ſi excedit, vena aperienda, donec febris ad debitam redigatur normam. Inde hæmorrhagiæ in talibus circumſtantiis ſponte obortæ non ſup-

ſupprimendæ. Vices enim venæ ſectionis ſupplent, febrim minuendo.

§. 221. Sanguinis miſſione facta ſi indicata, alvus leniter movenda aqua laxativa, vel ſolutione mannæ in ſero lactis, totoque morbi decurſu, alvus quotidie clysmate molli aperienda, mihique familiare eſt alternis diebus cochleari uno vel altero aquæ laxativæ hæc allicienda. Diarrhoea quoque in hoc ſtadio, nec non in tertio ſi febrim mitigat exorbitantem non coercenda, potiusve cremore tartari ſuſtinenda.

§. 222. Inſerviunt & orgaſmo nimio ſedando acida mineralia 47. medicamenta nitroſa. Ptiſana ſucco citri acidulata, vel aceto ad gratum acorem redacta, ſerum lactis, hydrogala, emulſiones dilutiores.

§. 223. Aer cubiculi ad frigidum potius quam ad calidum vergat, neque malo vel bono odore inficiendus, aut vapore hypocauſti aut exhalatione plurimorum hominum, ſæpiusque renovandus, feneſtris atque januis apertis æſtate præſertim; immo & hyeme cautione adhibita, ne aura nimis frigida, corpus ægroti aeſtuans alluat. Etenim de exponendis ægrotis aeri libero, rigente bruma, non tantum in hoc morbo ſed & in aliis, nondum ſatis mecum convenio, nec qui tardioris ſum ingenii collegis experientiſſimis aſſentiri auſim. Quod enim ſanos lædere facilius & ægrotos poteſt in ſummo humorum orgasmo, & ſi

æger

æger non moritur a variolis, morietur forſan a pleuritide vel peripneumonia.

§. 224. Aeger vero quotidie e lecto eximendus quousque ejus vires conſtant. In lecto leviter tantum tegendus. Linteamina ſæpius mutanda leviter prius calefacta, idque eo ſæpius, quo plus morbi curriculo, ſudore vel ſordibus inquinata. Nec inde refrigerium corporis metuendum, modo cum neceſſaria cautione, cortinis ante ægrum ſc. adductis, ſatisque cito fiat. Hæc omnia quam maxime neceſſaria habentur & ante & poſt eruptionem, ubi calor maximus pulſusque fortis.

§. 225. Ad diætam quod attinet a primo ſtadio ſtatim tenuis commendanda; abſtinentia a carnibus, ovis, piſcibus, caſeo, farinaceisque; uti & a vino, cereviſia forti, & potu caffé. Poma cocta concedenda, lacticinia nonnunquam, ſc. ubi febris non valida aut nulla, uti in benignis.

§. 226. In hoc ſtadio quoque pediluvia tepida quotidiana, aliquando & bis de die per horæ dimidiam ab omnibus fere laudantur, quibus ſatagunt copiam variolarum a facie derivare & ad extrema allicere. Non enim venuſtas tantum in ſequiori præſertim ſexu e quantitate puſtulorum majore in facie læditur, ſed & inde maximum diſcrimen inſtare, neminem latet. Num vero ſcopum iisdem attingant neſcio. Compertum enim eſt, neque pediluvia neque veſicantia a Clossio huic ſcopo commendata, ad ſuras adhibita minuere copiam variolarum ad faciem. Quæ quia nudo aeri

aeri expoſita, neque adeo perſpicabilis ergo, quam cæteræ partes veſtimentis tectæ, vel quia uti videtur naturaliter in omnibus eruptionibus infantum, acriorem ac mobiliorem partem materiæ morboſæ ſuperiora verſus tendere, uberrime iisdem afficitur. Valent tamen ut hac occaſione ægri non continuo ſub ſtragulis detineantur; ſicque febris ardor excedens mitigetur.

§. 227. In naturaliter debilibus vel morbo chronico exhauſtis, languente calore, pulſusque parvo exiſtente, & ſi delirium adſit obſcurum urinaque ejiciatur pallida, nullus venæ ſectioni locus, & potius cardiacis vires elevandæ, cauteque cum regimine nimis frigido procedendum. Conducunt hic vinoſa, camphora, decoctum corticis peruviani, nec non grispaſtica, ſinapismi, quin & veſicantia ad nervos excitandos pigres. Diarrhoea hic ſemper noxia, anima rhei cum liquore anodino minerali, decocto albo, clysmate ex partibus anaticis aquæ calcis ac lactis, immo & laudano liquido frenanda. Alvus enim adſtricta ſine ventris meteorismo hic melior fluxa. Epithemata etiam ex camphora ſcrobiculo cordis impoſita ſimili in caſu laudantur.

§. 228. Si eruptio poſt quartum diem remoratur & quidem cum febri ardente, requiruntur eadem quæ ante eruptionem in tali febri commendata habentur. Præterea & balnea tepida toti corpori applicanda, ut cutis laxetur. Vapor & fomenta tepida commendantur a Rhasi ad ſuppurationem

rationem promovendam. Inde & optime valere possunt in earundem retrocessione ut iterum eleventur. Iisdem tentat VAN DER HAAR avertere febrim secundariam, exitum præbendo puri varioloso.

§. 229. Atqui frequentius cum febri languida, retardatur nimis pustularum eruptio. Tali in casu valent quæ dicta habentur 227. in simili febri ante eruptionem. Hic si unquam emeticum ex radice ipecacuanha in variolis dandum, si sero uti sæpe fit vomitus abnormis, clysmate, anima rhei vel & celebri antemetico RIVERII 36. compescendus. Convulsiones in hoc statu, moscho sedentur; si dolores dorsi lumborumque colicive vehementiores moræ sunt in causa. Clysmata ex decocto corticis cum camphora, epithemata ex herbis leniter aromaticis in aceto vini cortis abdomini applicata optima sunt.

§. 230. Suppuratione rite procedente nihil moliendum, atqui si circa octavum aut nonum diem variolæ recedunt vel collabuntur pure varioloso omnino ad interiora delapso, facie subito detumescente nec manuum tumore insequente, summum adest periculum. Videndum autem quid ars in tristi hoc statu valeat, vesicantia, cataplasmata ad carpum statim apponenda: laxantia & diuretica exhibenda; opiatis dolores & inquietudines lenienda.

§. 231. Variolæ ad perfectam maturationem deductæ, riteque stantes, lanceola vel forticibus

sæpius

ſæpius de die incidendæ ſpongiaque lacte tepido imbuta pus abluendum, ne mora acrius factum partes ſubjacentes corrodat, ulceraque ſordida & cicatrices foedas creet, vel ne reſorbeatur ſanguinique miſceatur, febrisque ſecundaria mali moris ſequatur.

§. 232. Hæc febris ſemel orta eſt vel valida inflammatoria, vel putrida omnino. In priori caſu venæ ſectio imperanda ſi poſſibilis ob variolarum copiam. Laxantia hic quam maxime indicantur. Diarrhœa hoc tempore ſuborta tranſpirationis ſupplet defectum febrimque mitigat ſecundariam.

§. 233. Evacuationibus neceſſariis rite inſtitutis, febrisque vi imminuta ad corticis uſum accedendum, & in ſumma inquietudine ad ſyrupum diacodii & laudanum. In altero caſu ubi ſæpiſſime animi dejectio totalis, deliria obſcura, artuum tremor, tendinum ſubſultus, animi deliquia, petechiæ, diarrhœa colliquativa, dyſenteria, peripneumonia putrida, hæmorrhagiæ a ſanguinis diſſolutione, mictus cruentus, hæmoptoës, nihil præſtantius invenitur quam acida vegetabilia, vapor aceti ſc. hauſtus; nec non mineralia, hauſtibus & potibus inſtillata pro infantibus; majorique doſi adultis exhibita; neque hic cortici peruviano parcendum.

§. 234. Reſtat ut quædam adhuc de ſymptomatibus præcipuis leniendis dicatur, itaque ut ab oculis incipiamus, hi toto morbi decurſu & ſtatim

ſtatim ab initio fovendi lacte tepido in quo parum croci immittatur. Frontale ex camphora ad oculos muniendos a variolis proficuum ſæpius inveni. In quibusdam vero cephalalgiam excitat moleſtam. A vividiore luce ægri arcendi & in obſcuriori loco potius detinendi.

§. 235. In faucium dolore, difficilique deglutitione, in primo ſc. ſtadio, cataplasmata emollientia collo circumducenda, ſinapismi ad plantas pedum adhibendi. In tertio ſtadio gargarismata ſyringæ ope in fauces injicienda: emetica ex oxymelle ſquillitico cum kerme minerali in ſuffocationis periculo.

§. 236. In ſuppreſſione urinæ, dyſuria quæ non a veſicantibus, æger e lecto eximendus SYDENHAMO docente; introrſa cremor tartari, & regimen frigidius in uſum vocanda; cruſtæ nimis tenaces oleo amygdalarum dulcium illinire conducit vel & decocto avenaceo ſæpius madefacere, ut citius faciliusve decedant. Ulcera ſordida cum melle roſarum & ſpiritu vitrioli deliganda.

§. 237. Morbo ſuperato cathartica mercurialia debitis intervallis aliquoties exhibenda, quo turunculi, variolæ ſuccenturiatæ, tubercula, glandularum indurationes præcaveantur. Quæ vero ſtatim ac apparent omni molimine ad maturationem ducendæ.



Cap. XXII.
DE PROPHYLAXI ADVERSUS VARIOLAS.

§. 238.

Minime ſicco pede prætereunda prophylaxis in variolis a quam plurimis equidem laudata, paucis vero admodum comprobata. Cum vero ex ulceribus diu manantibus in variolis inſitivis, plurimi deduxiſſent benignitatem variolarum artificialium, etiam in prophylaxi commendarunt cutis inciſiones varias, fonticulos uti in peſte a Diemerbroekio aliisque loimiatris proficuos inventos, epidemià varioloſa regnante. Ab ulceribus naturalibus credunt quoque malignitatem & quantitatem variolarum minui. Infantes vidi ſæpius tinea & achoribus laborantes benignas admodum habuiſſe variolas. Clossius totam ſpem mitigandi varioloſi virus ponit in maturiori veſicantium applicatione, atqui experientia me docuit omnino ſpem eſſe vanam minimeque votis reſpondentem. In ipſis inſitivis vult Mead emplaſtra duo veſicantia brachio alterutri & cruri imponi nequaquam dubitans, hanc medicinam ex uſu fore, dolendum vero hoc ubique verum non eſſe.

§. 239. Nec magis fixo pede ſtat ſententia eorum qui in camphora & externe & interne adhibita,

bita, aſſa fœtida, ipſoque cortice quærunt antidota hujus morbi. Certe cortici & camphoræ quibus addendum & acida mineralia, acetum ejusque vaporem, non deneganda ſua laus, in hoc uti in cæteris morbis putridis, dum quam maxime putredini reſiſtunt. Atqui minime valere ad fugandum morbum varioloſum unicuique patere debet.

§. 240. In ſtibio, mercurio quæſivit BOERHAVE ſed ſine ſucceſſu. In aethiope minerali LOBB, merito vero dubitatur num hæc maſſa ponderoſa ac iners ſanguinem ingrediatur. Verum enim vero cum omnia præparata mercurialia ſanguinem diſſolvendo, eundem magis ad putredinem diſponant, non immerito ſuſpecta habentur. Inde quoque videre licet, quid ſentiendum cum LETSOM, qui mercurialia in confluentibus malignis, depreſſis, quo ad ſuppurationem & elevationem ducantur, commendat, nec plus etiam ſperandum de aqua picis a BERCKLEY laudata, aut de pilulis ex calomela, camphora, extracto aloës & gummi guayaco a ROSENSTEINIO confectis.

§. 241. Verum enim vero nihil tutius, nil certius ex mea ſententia dari poteſt ad vitandum contagium varioloſum quam ejus extirpatio a PAVLET aliisque plurimis propoſita. Vitando nempe omne commercium cum varioloſis, omnemque contactum cum linteaminibus eorumque veſtimentis: quæ vel comburenda, vel alte ſepelienda haud ſecus quam in ipſa peſte cum qua & variolæ quo-

 ad

ad originem, malignitatemque effectuum conveniunt. Nec desunt experimenta in variis locis instituta possibilitatem propositi comprobantia. Sed cum dentur magnæ difficultates quo minus praxis hæc communis fiat, extirpationi insitio substituenda, quæ ergo paulo accuratius describenda.

Cap. XXIII.
DE INOCULATIONE VARIOLARUM.

---

§. 242.

Non animus est de insitionis origine historiave dicere, neque indagare num theologice, philosophiceve aut medice licita; non nostrum est tantas componere lites. Sed breviter tantum agendum habeo de methodo administrandæ ejusque prærogativis.

§. 243. Inoculatio autem seu variolarum insitio in genere commendanda, in specie salutaris, aliquando vero & fatalis & infausta, consistit in eo quod miasma variolosum peculiari erchireisi, corpori sano olim variolas non passo communicetur, ut inde variolæ boni moris procreentur: quæ operatio sequentibus instituitur modis.

§. 244. Simplicissimus inoculandi modus est transplantatio vulgaris, quæ & emptionis nomen habet, quia fit per obolum unum vel alterum parvum

vum probe lotum, pustulis cujusvis ægri benignioribus variolis decumbentis impositum & aliquamdiu ibi relictum deinde, madore purulento calidum pueri sani brachio aut pedi, pectorive & aliis partibus alligatum. Aliquando succedit operatio fausto cum eventu, aliquando nullo, frustraneaque evadit.

§. 245. *Sirienses* insitionem faciunt naribus intrudendo miasma variolosum gossypio aut filo turundæ in morem contorto, inhærens, periculosa vero siriaca censetur methodus morbi transferendi ob cerebri viciniam, quod inde facile lædi potest.

§. 246. Regulariter vero tali instituitur modo variolarum insitio a medicis. Primo nimirum apud ægrum variolis benignis laborantem, pustula bene matura in brachio inprimis aut fœmore nata aperitur, & filum crassiusculum ex linteo carpto contortum aut gossypium effluente materia purulenta probe imbuitur. Filum hoc vel gossypium in pyxide optime primo charta cerea involutum includitur & ad variolarum candidatum defertur, & frustum semipollicare, levissimo cutis vulnusculo seu potius incisuræ, vel lanceola, vel acicula, GATTI docente, in utroque brachio & eo quidem in loco ubi fonticuli excitari solent, aut etiam intra pollicem & indicem factæ immittitur. Alii vero pus purum ex variolis probe maturis expressum in lagenula clausum ad locum destinatum deferunt. Quod si recens calidumve

 optime

optime habetur; ſin minus aqua calida ſolvitur, in eoque tingunt lanceola, qua inciſura fit. Iterumque alii pulverem variolarum jam exſiccatarum inciſioni inſpergunt, denique linteo vel & emplaſtro Diapalmæ apparatum firmant; ſunt qui more Italorum loco lanceolæ, veſicatorio vulnusculum excitare amant.

§. 247. Præparatio olim præcedebat inſitionem per quatuor aut plures hebdomatas, dum indiſcriminatim ſanis, vegetis, debilibus & morbo habituali affectis variolas transferre volebant medici. Toto hoc tempore a carnibus, ovis, piſcibus, potibus vinoſis, ſpirituoſisve abſtinebantur, variaque medicamenta ex ſtibio, camphora, mercurio, repetitaque cathartica eisdem exhibebantur. Atqui hodie experientia edocti, optime inſitionem ſuccedere in corporibus ſaniſſimis, morboſa omnino exulant, ſanaque quantum poſſibile eliguntur, quæ nulla ergo præparatione egent. Excluduntur infantes rachitici, labe venerea infecti, dentitionis negotium aut tempus nondum egreſſi, gravidæ puerperæ & menſtruatæ. Annique tempora præcipue ver & autumnum, ætatem intra quatuor & quatuordecim annos commendant inoculatores; neque aliam inſtituunt præparationem quam primarum viarum purgationem per aquam laxativam; aut catharticum mercuriale ſi vermium ſuſpicio, ſemel aut bis ante operationem pediluviis utantur noctu ad eruptionem variolarum usque.

§. 248.

§. 248. Duobus elapsis diebus solvitur apparatus & filum vel gossypium amovetur, incisio sanata videtur. Quarto vero aut quinto iterum rubescere incipit. Quinto linea alba apparet in vulneris loco. Sexto margines elevati & albidi conspiciuntur, quod inter signa successus inoculationis numeratur. Eodem die sunt qui queruntur de dolore sub axillis. Circa octavum ægrotatio adest cum levi horripilatione, facieique rubore, cephalalgia, dorsi dolore aut lumbagine, nausea & vomitu, quod si non contingat, eruptio justo longius procrastinatur nec sine periculo. Post decimum tertium demum diem vidi ægrotationem succedere, mortemque infantis secundo febris die. Post decimum quintum in alia puella, succedentibus variolis confluentibus, a quibus non nisi magno artis molimine evasit.

§. 249. Cæterum circa decimum sudor aliquando oritur cum eruptione in toto corpore scarlatinæ æmula: undecimo die variolæ erumpunt, febrisque cæteraque symptomata cessant. Eruptionis die vulnusculum arescere videtur, dein suppurare incipit, quod indies augetur, maximeque circa variolarum exsiccationem. Die 18vo præter propter perfecta adest convalescentia; & vulnus tunc temporis maxime manare solet in ulcerisque naturam degenerare. Si vulnus post sextum diem perfecte clauditur, neque iterum aperitur, successum inoculationis frustratum iri denotat.

§. 250. Variolæ insititiæ raro egent medicina, si autem, quod rarissime mali moris fiant, eodem modo ac naturales tractandæ. Præcipue autem commendant insitores balnea frigida & regimen frigidum diverso quidem fine. Quidam enim iisdem satagunt materiam variolosam a centro ad corporis peripheriam ducere, ducto exemplo quod in variolis naturalibus, partes minus tectæ aerique magis expositæ uti facies & manus quam maxime variolis infestantur, partesque magis tectæ minus. Unde & facies peplo obvolvenda suadent ut a copiosioribus pustulis præservetur & venustati & minori periculo consuletur optime. Rectene? Malignitas variolarum apud anglos tribuitur a cl. ROSENSTENIO lotionibus frigidis, quibus utuntur, quibusque cutis induratur, febrique certo ad eruptionem necessaria a balneo frigido supprimitur.

§. 251. E contra GATTI cum cæteris ablutionem manuum frigidam institui vult, ut eruptio topica remoretur. Potionem frigidam, aeremque frigidum, quo assimilatio virus variolosi præpediatur, eruptioque per cutim minuatur, dum morbi periculum consistit in majori numero, securitas & benignitas in minori pustularum copia. RHASES quoque volens cavere, ne pustulæ variolosæ oculos occuparent, jussit faciem frigida sæpius de die ablui, eademque etiam oculos adspergi totumque corpus lavare ut roboratis febris resistere valeret miasmati varioloso. Caute tamen procedendum cum regimine frigido rigente bruma, supra jam

jam monui, aſſentiuntque mecum graviſſimi authores. Cæterum moderate inſtitutum ardenteque ſyrio, ſymptomata omnia mitigare morbumque tolerabiliorem reddere, dubitare haud fert.

§. 252. Prærogativæ variolarum artificialium præ naturalibus demum recenſendæ. PAULET unicam prærogativam agnoſcit, præparationem nempe, quæ cum hodie tam nihili fiat, nullam eſſe ſponte patet. Medici experientiſſimi præſentiam & curam ab initio ad finem morbi agnoſcit DE HAEN, cum in variolis naturalibus parentes vel omnia omnino naturæ committunt, vel non niſi tarde medicorum auxilia quærunt. TRALLES laudat quatenus timorem multos annos aliter torquentem propellit: a timore enim non tantum morbum naſci ſæpius, ſed & periculoſiorem fieri omnes norunt. Alii, in eo præcipue conſiſtere præſtantiam credunt, quod infantes, quibus præcipue inſtituenda, ſerena pacataque gaudeant mente, nullaque torqueantur ſollicitudine. Cæterum quamvis hæc prorſus non contemnenda ſint, præſtantiam quærendam eſſe puto in eo quod experientia teſte licet neutiquam aſſequatur ratio, variolæ inſititiæ ordinarie benignæ, neque copioſæ niſi raro; rariſſime mortales, dum in naturalibus aut ſpontaneis omnia oppoſita ordinarie obſervantur: in facie artificiales paucæ ut plurimum, ſic venuſtas amabili ſexui chara & utilis & neceſſaria conſervatur. Vulnuscula enim manantia morbi materiem ad brachia potius alliciunt. Febris ſuppuratoria in naturalibus adeo exitialis

ſæpe in artificialibus nulla. Conſectaria quoque peſſima, in inſititiis rariſſime occurrunt. Omnibus autem hiſce rite perpenſis inoculationem multis paraſangis omnes contagii vias ſive per contactum, ſive per aerem, uti quibusdam viſum antecellere nemo inficias ibit.

CAP. XXIV.

DE FEBRI PUERPERALI.

---

§. 253.

Febris complicata ex inflammatione topica & humorum putredine puerperis ſatis familiaris, puerperalis nunc dierum dicta, præcipue deſcripta habetur apud medicos anglos HULME ſc. LEAKES, WHITE KIRKLANDRE ſatis periculoſa, valde diverſa eſt a febri lactea ephemera capite ſecundo tradita, omnibusque nota, ſatisque frequente & absque artis auxilio ſponte ceſſante.

§. 254. Oritur ſicut aliæ febres cum horripilatione frigoreque ſatis valido, tertio ut plurimum a partu die & quidem inopinanter fere & dicto citius dum paulo ante nil mali ſuſpicentur puerperæ; ſequunturque ordinarie pathemata circa uterum, qui ad minimum dolet attactum, nec raro præ dolore totius abdominis ululare coguntur, quod arguit inflammationem uteri ipſius vel & inteſtinorum & omenti; uti ex inſpectione cadave-

rum

rum probare tentant HULME & LEAKES, vidi & ego cadavera hac ſebri defunctarum, abdomen pure plenum variorumque viſcerum corruptionem oſtendentia. Num vero hæc inflammatio cauſa, num vero effectus febris, aliis diſcutiendum relinquo. Præterea diarrhoea adeſt bilioſa toto morbi decurſu vel levans vel ſumme debilitans noxiaque, inde & lochia minuuntur vel omnino ſupprimuntur.

§. 255. Sæpe ſubito admodum & 24. horarum ſpatio exitialis eſt, ut plurimum vero circa undecimum diem terminari ſolet felici eventu, per diarrhoeam, lochia rite fluentia, ventris pathematum imminutionem ſudoremque æqualem.

§. 256. Cauſas occaſionales quærit WHITE in regimine nimis calido, aereque nimis clauſo, inde & noſodochii creditur productum. Alii quærunt in lacte repulſo, lochiis ſuppreſſis, alii in ſecretione bilis graviditatis tempore imminuta.

§. 257. Cura pro ratione ſymptomatum varia inſtituenda. Nam ubi vera inflammationis ſigna, lochia ſuppreſſa, lac repulſum, ſanguinis requiritur miſſio. E contra ſi putredinis indicia caute cum hac procedendum, & antiſepticis, acidis mineralibus, camphora, cortice & veſicantibus abdomini vel aliis partibus pro re nata impoſitis tractanda.

§. 258. Emetica quoque ut inflammationis topicæ indicia non facile exhibenda, ineffectiva hic

hic inveniuntur quoque, laxantia potius leniora nec ſalina iisdem ſubſtituenda. Ubi vero vomitus bilioſus, oris amaror, optime conducunt leniora emetica initio morbi & laxantia cum clysmatibus toto morbi decurſu. Clysmata non tantum alvi ſollicitandæ gratia, ſed et uteri partiumque vicinarum ſovendarum, lochiorum movendorum blande cauſa injiciuntur.

§. 259. Cæterum laxantia hic commendata habentur ſalia media, magneſia alba cum rheo 48. fomenta mollia ex herbis emollientibus in lacte coctis regioni hypogaſtricæ applicanda quamdiu dolet. Diarrhoea debilitans ex ſuffragio KIRKLANDII parca laudani doſi moderanda.

§. 260. Si in morbi decurſu os & dentes ſordeſcunt, deglutitio difficilior evadit, petechiæ vel miliares non critice erumpunt, anxietasque adeſt cum animi dejectione magna, deliriis, convulſionibus, non admodum bene ſperandum de morbi eventu.

CAP. XXV.

DE LINTEAMINUM ET INDUSIORUM MUTATIONE IN ACUTIS.

---

§. 261.

Cum in morbis acutis ſæpiſſime linteamina & induſia exhalationibus putridis & contagioſis impre-

impregnentur, ſudore, potibus potionibusque medicamentoſis inquinentur, urina & excrementis ſæpe invite emiſſis conſpurcentur, pure varioloſo, nec non lochiis in puerperiis imbuantur, non immerito quæritur, num linteamina mutanda in morbis acutis. Negant alii, aliique affirmant.

§. 262. Negant qui damna timent a corporis denudatione, ejusdemque refrigeratione & exanthematum criticorum retroceſſione; hocque aliquando contigiſſe, medico DUNKERS, cum finito ſudore purum induſium quamvis calidum induiſſet: toto enim corpore algere cœpit & adeo male ſe habuit ut de vita omnes deſperarent: uti refert VAN SWIETEN.

§. 263. Affirmantes quique numero & autoritate forſan majores incommoda metuunt ab impedita tranſpiratione & reſorptione materiæ jam exhalatæ; & a retentione ulterius exhalandæ; dolentque contrariam opinionem non tantum plebis ſed & multorum medentium animis inſediſſe, ut medicus de fama timens niſi emerſerit æger a morbo, vix auderet permittere nedum ſuadere linteaminum mutationes. „Lintea ſæpius ægris per„mutare piaculum plebi eſſe videtur, inquit CRI„MOROSIUS, inde ſiquidem credunt ægros reddi „imbecilliores, ſed potius ex diutina illorum re„tentione varia ægris incommoda contingunt, cor„poris tranſpiratio impeditur, ſudores & ſordes „in induſiis retinentur, putreſcunt & foetorem „contrahunt, ſordes & ſudores corpus obſtruunt,

„ſic-

„ſicque calorem ingeminant, quæ quantum ægris „ſanisve incommoda ſint, norunt medici omnes. „LEVINUS LEMNIUS etiam in morbis contagioſis, „morbillis & variolis induſia tegumentaque ſub-„inde mutanda conſulit ac recentia ſubſtituenda.“ Sordidasque veſtes corpori exemptas vento atque auræ flatibus identidem exponendas, quo contagio & gravis halitus, quibus ex infecto corpore tegumenta imbui contingit & contaminari, diſcutiantur: ſiquidem cum multi tetri ac pernicioſi vapores ſeu fuligines ut ait, ex hujuscemodi corporibus emanant, quæ veſtimenta, quibus ægrotus integitur ac fovetur concipiunt, fit ut decumbentes circumfuſum undique aerem hauriant, imbibant, ac ſingulis momentis nova recentique contagione ac labe inficiantur, volutantur enim in ſordibus tanquam ſcropha aut lutulentus ſus in volutabro cœni.

§. 264. Inſurgit quoque graviter contra vulgarem opinionem & nonnullorum medentium, qua volunt ægris decumbentibus mutanda non eſſe induſia, nec linteamina, RAMAZINI; rationemque afferentium, induſia recenter lota vim retinere lixivialem, lentorem inducentem: cum in lixivio vim deterſivam ac reſolventem omnes agnoſcant. Conducit vero ex recentiorum opinione, ut induſia ſuccini, olibani & maſtichis vapori exponantur prius ut odor ſaponis, quem lota lintea habere ſolent, deleatur. Alii ſuadent eundem in finem ut lintea ſani hominis corpori applicentur per aliquot horas ſaltem, quod a magno non improbatur

tur SWIETENIO, modo hac facilitate obtinere possumus præcipuum scopum, ut nempe ægri a sorditie liberentur. HUXHAMUS nullo modo id necessarium credidit, & pura vult semper adhiberi lintea ægris.

§. 265. Peccant vulgares medici, inquit VALESIUS, neque tunicam linteam mutare neque lecti syndonem, neque manus faciemve lavare, nec quicquam aliud quod ad munditiem spectat suis ægrotis permittentes, nec si longus quidem morbus sit, quasi magni referat volutare in suis sordibus ac quasi non augeat hoc omnem putrefactionem.

§. 266. In tertio variolarum stadio ad initium exsiccationis, linteamina nunc impurissima, rigida & foetida facta, ipsique ægroti maxime molesta mutari vult HUXHAM, siquidem ait ea aerem conclavis magis polluunt & adeo ineptum ad respirationem reddunt, ut istum quoque vix homo perferri possit sanissimus. Quid? quod is non respirationem solum accelerat, sed ipsa quoque hujus venenatæ mephitis miasmata continuo iterum per vasa inhalantia, pulmones cæteraque ad sanguinem deveniunt, eumque magis corrumpunt. Ob eandem rationem quoque suadet VAN SWIETEN mutare linteamina quæ variolis jam maturis pure & pejori ichore confluentium plena rigent, non tantum sæpe molestissima sunt ægris, verum & pessimo foetore nocent quam plurimum.

§. 267.

§. 267. Mirandum vero DIEMERBROEKIUM ægros hortari, ut ad decimum quartum usque diem fœtorem hunc patienter ferant, audacterque affirmare se millies vidisse, hunc aliqualem foetorem nunquam ægris nocuisse. Dum ab hoc sanissimi quidem adeo sæpe afficiantur, ut in animi deliquium labi possint, quod sibi ipsi contigisse ait VAN SWINTEN.

§. 268. Ex allatis patet rationem stare pro suadentibus linteaminum mutationem in acutis, dum damna a putrefactione magis timenda sint, imo certiora quam illa quæ a corporis refrigeratione metuenda: hæc enim cautionibus adhibitis vitari possunt, illa vero inevitabilia videntur.

§. 269. Requiruntur vero cautiones maxime necessariæ ut hoc fiat sine periculo & cum emolumento. Sint ergo probe sicca & calida indusia. Aer in cubiculo sit quoque temperate calidus. Cortinæ ante lectum hoc tempore adducantur, fenestræ & januæ claudantur, citoque hoc perfici debet, ne nudato corpore incipiant algere ægri & exhorrescere, cutisque contrahi tota; pallor & anxietas sequantur infausto augurio. Narrat VAN SWIETEN se vidisse hoc contigisse, dum rigidum pure indusium non poterat satis cito tolli de corpore, & purum indusium allatum quamvis calefactum jam frigescere inciperet antequam sordidum auferri poterat additque se jussisse semper ut omnes hæ moræ tollerentur, sordidum tale indusium discindi, ut citissime auferri posset, dum

præ-

præſto adeſt purum & calidum, ſimulque curaſſe, tale induſium illico comburi ne contagium latiſſime ſpargatur dum lavatur.

§. 270. Nec minus attendendum eſt circa tempus & ſtatum ægri quo hoc fiat, ſcilicet nunquam die critico dum natura ſalutem conatur afferre, neque dum ægri admodum languidi, dum ſe vix ſuſtinere valent erecto corpore in lecto ſedendo: ſed dum morbi ſævitia miteſcit ac ſopitur, ipſaque concoctio ac criſis peracta eſt, polletque ipſe æger tot viribus ut quoque quid adjuvare valeat in hoc opere.

§. 271. Hiſce cautelis opus hoc inſtitutum, nunquam male ceſſiſſe expertus loquor. E contra vidi quaſi revixiſſe miſeros ægros, dum ab his ſordibus liberabantur. Quantum ægroti aeris conclavium mutatione, ait HUXHAM, fores & feneſtras prudenti ratione aperiendo & linteamina fœtida mutando reficiantur, mirum ſane eſt viſu, novam vivunt vitam ut ipſi verbis exprimunt. Nec mirum, quantum enim a veſtium munditie ac cubiculorum puritate animi refocillentur ſive ſanorum ſive ægrotantium, omnes facile agnoſcunt medici qui æquo pulſant pede pauperum tabernas regumque turres. Vident enim & levius & commodius morbos tolerare, qui cubicula nitida, quam qui tuguriola inhabitant ſquallida.

§. 272. Licebit concludere & colophonem huic diſſertatiunculæ imponere, verbis aureis cel.

van Swieten. Dum juniores infantes, inquit, qui urina & fœcibus alvinis conſpurcant induſia, variolis laborent, putreſcerent toti, ſi per tantum tempus linteamina non mutarentur; hinc ſollicitæ matres coguntur vel invitæ tentare in junioribus quod in adultioribus non auderent.

Cap. XXVI.

DE LIMITANDO VESICANTIUM USU IN ACUTIS.

---

§. 273.

Olim quidem ſcripſi Diatribam de uſu & abuſu veſicantium, qua pro viribus probavi horum uſum non adeo generalem eſſe debere in morbis ſive chronicis ſive acutis ac vulgo creditur. Verum enim vero hic ſpecifice & fuſius agendum de horum uſu noxio & ſalubri in morbis acutis univerſalibus ſcholæ dictis, febribus nempe continuis.

§. 274. Ut rite autem procedamus in hac materia ventilanda, primo obſervandum, febres continuas dividi poſſe præcipue in tres ſpecies: una in qua ſanguinis ſpiſſitudo peccat, motusque circulatorius intenſior eſt, ut in febribus ardentibus inflammatoriis; altera in qua medici omnes ſanguinis diſſolutionem admittunt, circulatioque humorum vitalium languet, uti in putridis & ma-

lignis

lignis ſic dictis. Tertia tandem in qua lymphae accuſant visciditatem & lentorem, uti in febribus lentis & nervoſis. In his quoque humorum motus progreſſivus tardius ſolito procedit, in hiſce omnibus quædam oboriuntur ſymptomata, eruptiones fiunt, deliria & ſopores ſæpe obveniunt, quæ veſicantium applicationem poſcere videntur.

§. 275. Dein autem & natura veſicantium horumque modus operandi in corpora humana indaganda. Cauſtico aeri ſalino volatili gaudere veſicantia quæ ex cantharidibus noſtro aevo præparantur, nemo inficias ibit, indeque ſolida ſtimulari, irritarique, fluida diſſolvi & ad motum fortiorem incitari, omnes poſt BAGLIVIUM agnoſcunt, neque deneganda eisdem vis ſudorifera & diuretica.

§. 276. Sponte jam patere videtur ex dictis non poſſe æque convenire in omnibus febribus, & ubi orgaſmus major, & ubi hic idem minor; neque iterum horum uſum nullum eſſe in ulla febri certis ſub limitibus. Quis autem crederet veſicatoriorum uſum commendari indiſcriminatim & in inflammatoriis & in putridis malignis a FREINDIO, PRINGLE & CLOSSIO? e contra omnino e foro medico ejici ſi res eſſet ſuffragii cel. TRALLESII? qui iisdem vix in malignis vi vitæ deficiente uti vult.

§. 277. Cavendum vero eſſe frequentiſſimum illum vulgi medicor. errorem, quo in omne febrium ſpecie utcunque periculoſa ſine diſcrimine, quamvis

vis non ſine magno febricitantium diſcrimine veſicantia applicantur. In inſtructione quæ titulum gerit *Nuclei totius Medicinae*, legitur ſequentibus verbis: Qui in omnibus ſebribus ſine diſcrimine, inque omnibus morbi circumſtantiis illud (veſicans) adhibet, aperte probat, quod magni Apollinis in ſua arte, elogium haud mereatur. Antequam ad illius applicationem acceditur, probe penſitandum eſt, an febris ſit inflammatoria, an nervoſa. In illa veſicatoriorum loco, lanceola adhibenda atque demulcentia, refrigerantia & diluentia remedia.

§. 278. Quo usque vero ſpeciatim conducant veſicantia in ſingulis febrium ſpeciebus, quo usque noceant, jam autoritate & experientia practicorum audiendum eſt, & quidem primo in febribus inflammatoriis & ubi orgaſmus humorum valde citatus; magnum hoc remedium, inquit MORTON, perperam a vulgo medicorum in quibuscunque febribus indiscriminatim adhibetur, ſi quidem in inflammatoriis cantharides plurimum nocent, ac flammam flammæ adjiciendo curationi officiunt.

§. 279. Non immerito ſuſpecta videri poſſunt in febribus ardentibus, dum inter cauſas febrium producentes acria externa ab autoribus memorantur. De acri cauſticoque cantharidum nemo certo dubitat. BOERHAVIUS ſcribit in commentario proprio ad ſuos aphorismos, dari homines qui non poſſunt ferre cantharides quin habeant febrem.

febrem. VAN SWIETEN ait, Cantharides applicatas toties febrim & sitim summam effecisse. TISSOT affirmat has esse vires cantharidum febrem, inflammationem, & calorem, quas minuere intendimus, augere.

§. 280. Medicos anglos quoque si consulere placet, en adest LANGRISCH de vesicatoriis affirmans quod faciant febrim, & oris siccitatem. Eum sequitur HUXHAM dicens: increscens febris nullo indiget stimulante, hinc vesicatoria, tam sæpe nimis præpostere & minus conveniente modo applicantur, si irritatio & impulsus jam sunt nimii, certe sine ullo judicio adhibentur. Profecto, inquit alibi, quando sola sanguinis aucta commotio excitare potest febrim, quidquid hanc commotionem augebit, illam prolongabit & adaugebit, itaque hac ratione vesicatoria, quæ sal acre quoddam sanguini addunt & fibras insigniter stimulant, certe minus conveniunt in principio ad minimum in omnibus febribus ardentibus & inflammatoriis ad quam sæpe in praxi consueta videmus ægrotis larga satis copia sanguinem emitti & vesicatoria applicari, quod profecto sic cum ratione convenit, ac si quis partem magni incendii prius supprimere velit & mox postea residuam partem extinguere nitereturque adjecto pulvere pyrio aut vini spiritu, aut ac si equo aspero flagella ac calcaria addere velis quem demulcere cupias; quod sane fieri solet cum vesicatoriis ubi vis vasorum oscillatoria nimia

mia & fluidorum motus obſervatur rapidior. Eadem fere ſumma elegantia eique quaſi innata habet TRALLES, dicens: An remedium quod ut cauſa febrim producere poteſt contra eam ultra modum ſævientem quærat refrænare? An rapido & perniciſſimo curſu agitatur equus inſidentem excuſſurus & in præceps daturus, calcaribus additis quietior reddetur & lentius incedet?

§. 281. Ut demum concludamus cum damno veſicantium primario, ſc. ubi febris nimis intenſa, uti in inflammatoriis & ardentibus, indeque pateat, quanta cautione, quanta prudentia hic opus, præſertim ſi febris vis non prius refrenata evacuationibus aut ſanguinis miſſionibus neceſſariis, quædam adhuc addenda a BAGLIVIO, HOFFMANNO & PROSPERO ALPINO prolata. Prioris verba ſic ſonant: Nocent in febribus ardentibus & continuis, in quibus magna eſt ſanguinis agitatio & impetus, poſt inprudenter & intempeſtive adhibita veſicantia nihil aliud obſervamus frequentius in praxi, quam febris exacerbationem, deliria, inflammationes, præterque alia ſymptomata, ſitim intenſam & pulſuum celeritatem generare notum eſt. Pulſus igitur exiſtente forti & celeri, ait alter, veſicantia non ſunt applicanda, niſi dolores, febres inflammatorias accendere & phrenitidem accerſere velimus. Tandem PROSPER ALPINUS de medicina methodica hæc habet: Nunquam probare potui in acutis veſicantium uſum, quod calorem febrilem augeant, dolorem & vigilias

lias concitent, & deliria inducant, coctionem impediant, non minus & motui humorum critico obſint, cum incertus locus ſit, ad quem vel per quem criſis eſt futura. Hæc ille. Ut autem hic obiter dicam, annon inde probare videtur ex methodo noſtra in medicina hodierna, turbari ſæpius motus criticos, ideoque minus accurate obſervari quam apud antiquos?

§. 282. Jam ergo me converto ad febres malignas & putridas, in quibus & ratione putredinis & ratione intenſitatis qua ſubinde turgent, ut in febri ſuppuratoria aut ſecundaria variolarum minus apta cenſentur. Dum enim principio alcalino gaudent veſicantia ſanguinem fluidiorem reddendo ejus craſin turbant, monente ALBINO, BAGLIVIO, BOHNIO, LANCISIO nec non VAN SWIETEN. DE GORTEN aſſerit, veſicantia nocere in morbis cum majori circulatione, calore corporis, colliquatione pinguedinis, ſiccitate inflammatoria. BOERHAVIUS in commentario proprio, agunt inquit, veſicantia quatenus motum faciunt, & ſe in corpus inſinuant, non conducunt ubi humores acres, nec in morbis acutis nec ubi inclinatio eſt ad alcali, miror claros viros veſicatoria adeo ſæpe laudare, faciunt nempe per ſe, febrim, anxietates, halitum cadaveroſum, urinam fœtidam & acrem, ſanguinem in aere putrefaciens ſolutum. Pariter cum doctiſſimo magiſtro ſentit diſcipulus eruditiſſimus VAN SWIETEN addens, ubi magnus motus adeſt, humores diſſo-

luti acres & in putredinem vergentes non adeo tuta. In principio morborum putridorum non nisi cautissime adhibenda suadet FORSTEN.

§. 283. Non desunt vero iterum qui nulla habita ratione ad dictas circumstantias, commendent vesicatoria in putridis & malignis falsa imbuti opinione forsan ut habet BAGLIVIUS eadem vim habere extrahendi venenum febrium malignarum, non sine magna ægrotantium pernicie. Vesicatoriorum fautores hic equidem sunt WILLISIUS, LANCISIUS cum MEADIO, PRINGLE & STORKIO & quidem variis corporis partibus simul applicata volunt. Taxantur vero hi iterum a BAGLIVIO & MORTONO affirmantibus quod in febribus ex dissolutione nequaquam conducere valeant.

§. 284. An nunquam igitur locus vesicantibus in acutis & putridis? An tot viri in arte clari de corio humano ludendo fallere posteros voluerunt; an ipsi crasso ignorantiæ filo ducti, sese ipsos fefellerunt? Certum est se sæpissime ex felici successu in praxi & ex numero convalescentium, quibus vesicantia subinde quamvis minus apte adhibita fuere, judicasse ex bono eorum effectu, ac si sine iisdem sanitatem recuperare haud potuissent. Alii plus ex more quam alia de caussa, meliora certo edocti vesicant. in cura febrium in usum vocant. Audiamus VOGELIUM, etiam si inde (ex vesicantibus) non mitigari, nec lethum adeo impediri videas, desiderant tamen secu-

ſeculi mores, ut nullibi hoc auxilium omittas, qua levari æger potuiſſe videatur.

§. 285. Cum vero in omni febri maligna & putrida adſit ſummus virium languor & ſolidorum debilitas cum pulſuum tremore, vacillatione neque raro intermittentia, veſicatoria autem omne ſyſtema nervoſum concutiant, moveantque & ſanguinis circulationem incitent, conducere debent quam optime in illis conditionibus quæ ſtimulo ac incitamento egent; in languore humorum maximo & ſolidorum atonia ſumma. In morbis ubi ſeri copia abundat, ubi materia ichoroſa & purulenta, ſubtilius miaſma miliarium, aliorumque exanthematum per metaſtaſin ad interiora defertur vi vitæ deficiente. Veſicatoria rejicit TISSOT in vehementi ſuppurationis variolarum febri contra FREINDIUM. Commendat vero in earundem devolutione ad pulmones, cum pulſu debiliſſimo, orthopnea & anxietate. TRALLES quoque, ſi unquam, inquit, in variolarum medela valent veſicatoria, valebunt unice ubi febris torpet, & ubi e re ægri futurum erat, fortius inſurrexiſſe vitalem humorum circuitum, ad faciendam & excitandam, non ad inhibendam febrim.

286. In febri ſecundaria varioloſa valida, veſicantia æque parum ac vinoſa aliaque ſtimulantia conducere firmiter credo, tantumque valere ſi febris languida, vis vitalis fracta & humorum circuitus torpens, & experientia propria & authoritate MEADII, HUXHAMI & DE HAEN fretus. Eve-

nit autem non raro, inquit MEAD, maxime in pessimæ notæ morbo (varioloso) ut cum pulsu arteriarum exiguo ægrotus & imminutis admodum viribus torpeat magis quam calore uratur, in hujuscemodi ægritudine imponenda sunt brachiis & cruribus emplastra vesicatoria. HUXHAM qui in febri secundaria intensa laudat venæ sectionem, quando e contra ait, pulsus est debilis, æger languidus & interdum lypothimicus, quando extrema sunt frigida, tunc cardiacorum exhibitione & vesicantium applicatione nimis esse vix possumus. Vinum calidum tunc stupendos effectus edit. Mira hic præstare vesicantia asserit DE HAEN.

§. 287. Eandem rationem esse, eandemque utilitatem habere vesicantia sub determinatis dictis conditionibus, in aliis febribus exanthematicis, sive ante horum eruptionem, sive ab eorundem retrocessione patet ex sententia aliorum non minus in arte celebrium virorum. TRALLES scribit se aliquoties vidisse, quando vel vehementes convulsiones, vel soporosi adfectus ante exclusionem variolarum, incipiente vel durante prima febri vesicatorium poposcerunt, mitiores inde secutas fuisse variolas. Sic autem HOFFMAN ait, quando pulsus exiles aut debiles micant, vires languent ad soporem inclinatio & corpora segnioris naturæ ex usu sunt (vesicantia) ubi omnia alia secus. Alibi autem, quanquam cantharides virulento quodam & sæpe noxio agant principio, tamen in febribus continuis malignis, ubi pulsus sunt langui-

di,

di, ſopor & torpor capitis, & exanthemata retrocedunt, non ſine emolumento veſicatoria nuchæ & carpis manuum imponi obſervationes teſtantur practicæ. In pulſu debiliſſimo animi deliquiis veſicantia exoptatum ſæpe præſtitere effectum, aſſeverat COLLIN. In miliarium retroceſſione, ubi exanthematum eruptio adjuvanda eſt, interimque naturæ vires languent, vel deficiunt, commendantur a FORSTENIO ut pulſus languidus vim vitalem ſtimulando excitetur.

§. 288. Haud ſecus ratione aliorum ſymptomatum, ſoporoſorum cæterorumque nervoſorum affectuum, veſicantia adhibenda ubi nocere valent propter ſuum ſtimulum; ſi febris jam ſatis ardens, aut ſi nervi admodum ſenſibiles quam ut eorum irritamenta impune ferant prudenter agendum. In hiſce enim putat PERCIVAL ſpasmos inde adaugeri & motus inordinatos concitari. In lethargo qui cum febri conjunctus ſit, quæ calida reſpuit, veſicantia non uſurpanda eſſe monet DURETUS. Nocere hæc eadem notat BAGLIVIUS in affectibus nervoſis cum febri ad ardentem declinante, itemque in comatoſis affectibus febrium quæ accedunt ad ardentem. Nocent admodum cantharides, inquit TISSOT, in illo ſopore, qui ex vi febris & turgore vaſorum oritur. Noxia declaret DE GORTER in deliriis æque ac BAGLIVIUS cum febri validiori. Periculoſos vidit effectus HUXHAM a præpoſtera veſicantium applicatione tali in caſu.

§. 289.

§. 289. Utilem demum determinatis in caſibus veſicantium uſum prædicare cum cæteris licebit in febribus putridis & nervoſis præcipue experientia decumana edoctus; huic fulcro enim, licet aliter viſum cel. TRALLESIO, innitendum eſt. Soli experientiæ credendum & adhærendum in praxi medica. Sic cum WALSCHMIDIO exclamare audeo, veſicantium uſum nunquam me feſelliſſe in morbis malignis: neque vero alia ratione, alioque tempore juvant, quam ubi motus ſolidorum & fluidorum deficiunt, motus arteriarum languidi ſunt, & vis quaſi naturæ fracta, dum penetrant illo quo ſunt prædita ſtimulo univerſi corporis tubulos nervoſo-muſculares, ipſasque arterias de novo animant, easque ad vividiorem contractionem & ſyſtolen incitant; qua de cauſa ab eorum applicatione pulſus antea depreſſi ſeſe attollunt, parviqua majores fiunt. In ſic dicto *Nucleo totius Medicinae* legitur: in febribus nervoſis quando pulſus eſt depreſſus & debilis, ſpiritus exhauſti, & oculi ſine ſignis alicujus inflammationis, melancholica caligine affecti, non condonandum fore, ſi uſus liberalis veſicantium negligeretur. In pulſu tremulo, urina clara & ſtraminea unice indicari uſum frequentium veſicatoriorum habet MORTON, ut ſpiritus animales languentes & oppreſſi tandem excitentur & reſuſcitentur. Naturam oppreſſam erigendam quoque vult LANCISIUS veſicantium applicatione. In febribus inquit, BAGLIVIUS, quæ exiliſſimo pulſu, extremitatibus frigidis, anxietate, ad morbos ſoporoſos

porosos propensione, stipantur, dictu est incredibile quam proficuos effectus adferant vesicantia. In febri lenta nervosa ob lymphæ visciditatem & lentorem toto morbi decursu commendantur ab HOME, diu aperta servari suadet HUXHAM, sine piaculo omitti haud posse habet BUCHAN. Hæc de vesicantibus sufficiant.

CAP. XXVII.

DE AEGROTANTIUM ET CONVALESCENTIUM DIAETA.

§. 290.

Quamvis sub diæta ægrorum comprehendatur & aer & alimenta, de ultimis tantum hic agere animus est, cum passim de aëris regimine ad singulos morbos dictum fuerit; in diæta autem stricte dicta, commendanda maxime attendendum est ad vires sustentandas ut pares sint morbo ferendo: ideo quo longior morbus eo copiosior & solidior requiritur; quo brevior, eo parcior fluidiorque. Sic in acutis potulenta magis, in chronicis esculenta potius conceduntur.

§. 291. Diæta ægrotorum instituenda varia quoque, prout morbus est in initio, in statu & in fine aut declinatione, vel & reconvalescentia; uti & in apyrexias tempore in febribus intermittentibus videlicet. In accessionibus abstinere opor-

oportet monente HIPPOCRATE, nam cibum dare nocivum eſt & quibus per circuitum fiunt acceſſiones, in ipſa acceſſione abſtinere oportet.

§. 292. In genere, in omnibus febribus acutis & in calore febrium intermittentium diæta eſt una eademque fere, hinc inde ſub certis conditionibus forſan parum mutata. Magna vero attentio requiritur in convaleſcentia vel apyrexia febrium intermittentium, ne quantitate excedant nimia, viresque ſuperent digeſtivas; vel & qualitate peccent noxia quæ producendo ſc. magis quam ſupprimendo cauſam morbi favent.

§. 293. Quæ ergo in ipſo morbo concedenda ſunt decocta avenacea, hordeacea & Ptiſana ab HIPPOCRATE jam commendata, quæ neque nimis tenuia, neque nimis ſpiſſa aliquoties de die, idque calida aut tepida ſaltem exhibenda. Jura carnium quibus alicubi in Germania, HAENIO conſentiente, quia aliquid conſuetudini dandum, utuntur, cum facile in putridum abeant, optime acidis, ſucco citri, limoniorum, aceto vel & cremore tartari corriguntur. Optimum talem correctorem præbet ſua natura panis albus bene fermentatus, qui igitur hiſce jusculis addendus, vel incoquendus. Iisdem quidem licet uti in variolis benignis, conducunt hæc quoque puerperis cæteroquin bene valentibus. Pultes avenaceæ, panatæ panatellæ BOERHAVIANAE intermediis temporibus concedendæ iis, qui non valde ægrotant, neque prædictis famem aut appetitum ſedare valent.

lent. Huic ſcopo quoque favent lac ebutyratum Batavis familiare; chocolata aromatibus orba & hecticis & puerperis nec non convaleſcentibus concedenda.

§. 294. Potus ſit in acutis ptiſana dilutior acidulata, cum rob, ſapisque fructuum, ribeſiorum ſc. ceraſorumque. Serum lactis vinoſum, cereviſiatum aut lythogala Danis in deliciis, vinum aqua dilutum, quo ubi nimis non ſævit febrilis æſtus præſtantius & jucundius cardiacum ſimul antiſepticum & diluens non noviſſe ait TISSOT. Tenue & aquoſum laudat GALENUS donec morbus ſolvatur tunc temporis liberalius vult offerendum. Aqua in qua fruſtum panis incoctum & cum ſucco citri, tamarindis & parum vini rhenani aut moſellani gratior reddita. Hydrogala & potus caffé cum lacte in varioloſis qui febri carent, conceditur, immo ab HUXHAMO commendatur. Non ineptus quoque potus puerperis poſt quartum diem, finita tum febris lactea ut plurimum. Lac enim ab HIPPOCRATE febricitantibus damnatum, quia calore facillime in coagula abire poteſt. Cereviſia tenuis quoque non incongrua aſſuetis ſpeciatim.

§. 295. Morbo ſuperato acuto, poſt unam vel alteram alvi ductionem, ubi neceſſarium, inſtitutam; ſenſim a tenuioribus ad ſolidiora pergendum, ſæpe cibus exhibendus pauca copia ſenſim quoque aucta. In apyrexia febrium intermittentium non niſi elapſis duabus horis poſt paroxysmum.

xysmum. Alimenta danda in cœnam parum admodum exhibendum & quidem duas horas ante somnum.

§. 296. Replentia & analeptica autem in his, qui a morbo convalescunt, sunt jura carnium, pullorum, vitulinæ, agninæ meraciora; gelatina, pultes ex oryza, sagu; lacticinia quæ tamen febri intermittente laborantibus minus convenire creditur: carnes teneriores avium, pullorum, gallinarum, columbarum, assæ non autem cum multo butyro aut pinguedine, quæ facile in stomacho debili rancescunt. Carnes nigræ omnino rejiciendæ, quales sunt anserum, anatumve, carnes pingues, suillave; ova quoque minus tuta ob in putridum inclinationem. Laudantur vero caro vitulina, ovilla assa; eorundem animalium lingua, thymus, pancreas. Fumo indurata & salita non prorsus deneganda rusticis & robustis qui iisdem assueti. Puerperis esus carnium non concedatur primis tribus a partu diebus saltem. E piscium genere perca, luscius junior, asellus minor, cyprini fluviatiles pauco assi butyro. Non probantur autem in usu diætetico pisces exsiccati aut exsucci, haleces sive infumati, sive recentes, sive saliti; pisces viscosi aut anguillæ, acus, tincæ, salmones, cyprini lati, carpiones, musculi seu mytuli, ostrea, cancrique. Ex oleribus radices dauci sativi juniores, turiones asparagorum cinaræ costæ; fructus seu capita dicta vires stomachi validiores requirunt: bona quoque sunt folia cichorei,

rei, acetosæ, borraginis, portulacæ, lactucæ, spinachiæ, quæ sæpe, ut obiter dicam, diu retinentur indigesta in stomacho; tum & utilia habentur brassica rubra, cauli flores. Ex fructibus omnes horrei probe maturi, & quidem crudi non contemnendi in ipso morbo præter poma pyra & pruma cocta, fabæ autem, pisa duriora & sicca, lentes convalescentibus non concedenda, nec non placentæ pistrinæ & culinariæ uti & omnia dulcia, quæ fastidium, flatus aliaque mala producere valent.. Male quoque audiunt farinosa non fermentata, viscida & glutinosa, nec bene a quamplurimis, in hecticis commendata, cum vix domari possint a stomachi diuturnó morbo viribus fractis, quin & lacticinia vix alibi magis conducibilia vix digerere valent; statimque anxietates percipiunt a novo chylo sanguinem ingresso, ergo tantum multa aqua dilutum aut tenue admodum, quale asininum potandum; eidem saccharum addendum ne adeo facile coaguletur.

§. 297. Potus reconvalescentium optimus, vinum aqua dilutum, albumina ovorum in aqua soluta, cerevisia generosior dein, qualis est Mumma Brunswicensis, Ale Brittanorum: nec non haustus vini rhenani, canariensis, malvatici, maderæ, hungarici cum pane bis cocto. Potus punch interdum conducit præcipue a febri intermittenti sanatis, si pectus habeant firmum. Condimenta quoque ex cinamomo, zingibere, nuce

myriſtica, caryophilis, iisdem liberalius quam aliis convaleſcentibus concedenda.

Cap. XXVIII.

DE MORBORUM CRISI.

§. 298.

Subita præcepsque mutatio in morbis acutis ſive ad ſanitatem ſive ad mortem, ſive demum ad alium morbum, abſceſſum effatu dignum ſc. in ſtatu morbi contingens, criſis dicitur ſeu judicium. Criſes autem lentæ in morbi declinatione, quæque longo tempore fiunt minus fidæ tutæque.

§. 299. Fit autem naturæ conatibus ad noxium excernendum, quod fit vel ſudore, urinave ſedimentoſa, in febribus continuis ſimplicioribus; in inflammatoriis narium haemorrhagia, in putridis & bilioſis diarrhoea; in pulmonibus affectis, ſputo craſſo & viscido: imperfectiores ſunt criſes quæ abſceſſus alicubi formant.

§. 300. Ad criſim perficiendam requiruntur vires validæ; in imbecillibus nulla criſis. Oritur enim quædam lucta inter naturam & morbum, quæ reciproce vel vincunt vel vincuntur, prout illa vel hic viribus valeant.

§. 301.

§. 301. In hoc conflictu ergo plura oriuntur ſymptomata, quæ medentes a morbis ſymptomatibus diſtinguunt cum critico fiant tempore, ne quid magna moliantur in medicamentis & remediis heroicis, emeticis, laxantibus, venæ ſectionibus inſtituendis, aut in linteaminibus mutandis, ne natura in ſuis conatibus ſalutaribus fruſtretur, ægerque potius ab intempeſtiva medicatione quam a vi morbi ſuccumbat.

§. 302. Criſes & dies critici ſc. 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. ab Hippocrate, Galeno, ab omnique veneranda antiquitate accuratiſſime obſervata & deſcripta, non adeo certo obſervari noſtro ævo graviſſimi teſtantur authores, Baglivius ſc. de Haen, van Swieten poſtque eos experientia. Rariores autem tales perturbationes criticas non immerito tribueris venæ ſectionibus crebrioribus, medicamentis efficacioribus, emeticis, camphoræ, cortici &c. nec non veſicantium applicationi antiquis non adeo familiari.

§. 303. Dies non adeo exactos obſervari putat de Haen, pendere inde, quod raro ſint, qui exacte atque accurate morbi principium notent; neque inter medentes conſtet, num a ſpontaneis laſſitudinibus, leviorique functionum læſione morbum ipſum antecedentibus, num ab ipſa febri orta, dies numerandi.

§. 304. Non ſemper ut nunc ſic & olim, & morbum ſolvi & mortem ſequi, criſi facta, ſed potius ſine ulla criſi prævia, reperitur apud Ga-

LENUM. Aegros convaluiſſe absque ullo pepaſmi ſigno obſervavit HIPPOCRATES, criſes adhuc dum ſæpiſſime fieri non minus certum eſt. Contigit mihi non raro videre criticas perturbationes, ſymptomatibus ingraveſcentibus, noctibus inquietis & gravioribus a ſeptimo die, alternis diebus ut plurimum, e quorum majori vel minori intenſitate, vel noctibus pacatioribus aut æque inquietis ſubſequentibus, mortem vel ſalutem præſagire licuit ad undecimum vel quatuordecimum diem.

CAP. XXIX.

DE SIGNIS PROGNOSTICIS.

---

§. 305.

In opere practico non omittenda ſigna prognoſtica ad vitam vel & ad mortem ægrotantium ſpectantia, quamvis non æque utique certa aut infallibilia, dum cum peſſimis ſignis convaleſcunt ſæpe, cum optimis moriuntur ægri. Placet autem omnes partes corporis a capite usque ad calcem, ejusque functiones omnes percurrere, quatenus indicia in iisdem comparentia ſive ad mortem ſive ad ſanitatem ordinarie ducunt.

§. 306. In capite autem tria inprimis conſideranda veniunt, ſymptomata prognoſtica in febribus aut morbis acutis. Delirium nempe ſo-

por

por aut somnolentia, vigiliæque. Delirium ergo raro boni ominis, non vero semper prænuncium; dividitur in obscurum, parvum, & ferox seu phrenicum, quod vel cum risu, vel cum studio fit, versaturque circa necessaria vel minus necessaria.

§. 307. Ad prognosticum quod attinet phreniticum aut ferox semper periculosius est quam obscurum & parvum, nec adeo malum quod somnus sedat. Sopor autem & summa quies, aut improvisa resipiscentia delirium excipiens lethale semper inveni. Minusque periculosa etiam habita sunt semper deliria quæ cum risu fiunt. Periculosissima quæ cum studio fiunt magno. Pessima quoque quæ circa necessaria versantur; sc. ubi cibum potumve &c. capere nolunt ægri. Cum deliriis fere convenit oblivio, est enim levior mentis alienatio quasi, hæc semper mali ominis est dum scilicet familiares non agnoscunt, aut factorum non recordantur, eoque magis, quo in statu sano perspicacioris fuerunt ingenii aut firmioris memoriæ.

§. 308. De somno autem dicendum, quod omnis somnus non turbulentus symptomata levans, delirium si adfuerit sedans, naturali quam simillimus, bonus. E contra inquietus haud levans, naturæ modum excedens quo ad durationis tempus, ejusve profunditatem, dum nec facile expergisci poterunt ægri, & quando evigilantes iterum in somnum statim delabuntur, malum. Per-

tinaces vigiliæ etiam pessimæ. Vidi ægrotos per aliquot dies neque interdiu neque noctu dormire, qui fere semper dein moriebantur. Dormire oculis semiapertis contra morem naturalem, malum.

§. 309. Oculi vividi bonum protendunt præsagium; segni vero pulvurulenti, caliginosi, aperti, immobiles, subsidentes, truces, nimis prominentes, unus altero minor, sponte illacrymantes, malum. Eodem modo perniciosum est oculos assidue nictari, ægrum non videre labescentibus viribus, mortis instantis prænuntium.

§. 310. In organo auditus præsagia desumuntur, si contractæ aut frigidæ aures quod triste tibi dabit angurium. Præterea surditas ante morbi statum, deliria post septimum diem cum aliis bonis signis reconvalescentiam: corpore vero valde debili mortem proximam denunciat.

§. 311. Malum quoque ominatur foetor intensus ab ægrotantis corpore, ejusque excretionibus exhalans; nec non dum allata alimenta medicamentave quamvis suavia, naribus ægrotorum quam maxime foetere videntur. Tum demum nares contractæ aut arcuatæ nimis; neque cæterarum partium capitis prædictiones negligendæ: videlicet dentium stridor, maxillarum fortis constrictio, vel harum deductio seu os hians in non assuetis saltem, orisque faucium & dentium summa nigredo, quæ omnia mala.

§. 312.

§. 312. Linguam inſpicienti ſi apparet ſicca, dura, fiſca, nigraque tremulaque exeritur aut convellitur & verſus fauces trahitur, perniciosum admodum. Aphthæ non abſolute lethales: nigræ vero ſi fuerint de fauſto eventu dubitandum. Virides contigit mihi videre mortem poſt ſe ducentes.

§. 413. De capite vero ad thoracem deſcendamus, ibique actiones vitales conſideremus, ſc. reſpirationem cum loquela voceve cordisque & arteriarum motus ſeu pulſus, quatenus ad præſagiendam vitam ſeu mortem ægrotantium valent.

§. 314. Reſpiratio igitur magna, æqualis, facilis ſemper bona in morbis: E contra parva, inæqualis, difficilis ſemper mala. Aſthmatici tamen diu parvam habent reſpirationem absque inſtantaneo periculo. In ſimilibus ergo minus pertimeſcenda; celeris brevisque admodum mala: tarda non ita ſemper, niſi ubi jam alia mortis ſigna. Anxia quoque mala, in hypochondriacis non ita. Dolens inflammationis organorum reſpirationi inſervientium ſignum; ſublimis mortifera, uti & frigida ſc. ubi halitus percipitur ex ore frigidus. Stertoroſa in moribundis obſervatur; vox demiſſa vel & clangoſa inter mala ſigna, aphonia vero & totalis mutitas inter lethalia numerantur.

§. 315. De pulſibus in genere dicendum, quod horum frequentia imminuta circa veſperam, bonum in febribus: circa matutinas horas valde au-

cta malum. Præterea boni habentur pulſus æquales magni, pleni & fortes, fallunt vero in apoplecticis. Pulſus durus inflammationis ſignum, poſtulatque ſemper V. S. in peripneumonia tamen mollis potius eſt; debilis & celer peſſimus in febribus. In viſceris interni gangræna vix ad tactum perceptibilis.

§. 316. Qui vero certa præſagia de pulſibus deducere vult, neceſſe eſt cognitum habeat naturalem in individuo antea ſano; nihil enim perniciosius quam pulſus intermittens, qui tamen non adeo raro in viride datur ſenectute. Dantur etiam qui naturaliter pulſum habent intermittentem, in uno vel alterutro brachio. Non ſine cauſa ergo vult CELSUS in utroque brachio pulſum a medenti tangi. In obſtructionibus infimi ventris & hypochondriacis, hæmorrhoidariisve pulſus ſubinde intermittit ſine periculo. Palpitationes demum univerſales, præcipueque venarum jugularium vehementes mali ſunt ominis.

§. 317. Ex naturalibus functionibus male ominantur derepente ingens ciborum appetitus excitatus, ſitis abſentia uti & ejusdem ſine cauſa ſubita ceſſatio in magno febris ardore, mortem fores jamjam pulſare indicat. Alimentorum & potulentorum cum ſtrepitu & murmure in ventricul. deſcenſus obſervatur ſæpiſſime in agone mortis.

§. 318. Excretiones magni momenti ſunt in judicandis morbis, ſi nempe fiunt tempore critico poſt coctionem viribus conſtantibus, tunc enim ut pluri-

plurimum levant & juvant. E contra ante coctionem & statim ab initio morbi, aut fractis viribus nimis nocent & perniciem afferunt; jam vero de iisdem seorsim agendum, quamvis raro admodum una tantum excretione judicentur morbi.

§. 319. Ut a sputis autem incipiamus, quibus morbi pectoris utplurimum judicari solent: optima sunt sputa alba, levia, crassa, viscida, nullo pravo colore aut odore infecta. Verum mala sunt livida cruenta, biliosa, foetida, coenasa, atqui in pleuriticis & peripneumoniis, statim ab initio expectorata flava, non multo sanguine permista, salutaria admodum. Pauca vero rotunda tenuia difficulter & cum multa tussi excreta nec juvantia infaustum promittunt eventum.

§. 320. Et vomitus criticos & salutares etiam dari in morbis, quamvis in febribus & acutis raro observaverim, patet ex autore *Coac. praenot.* qui sic habet. Qui in febri continua muti jacent, clausis oculis subinde conniventibus, siquidem e naribus sanguis effluxerit & vomuerint, atque ex eo loquantur & ad se ipsos redeant servantur; atqui malae sunt in genere vomitiones variae, aerugriosae, cruentae atque foetidae. Exitialis vero censendus vomitus illico cuncta excipiens assumpta.

§. 321. Ex alvi defectionibus itidem & salutem & mortem praenoscere licebit. Alvi dejectio copiosa autem, biliosa diebus criticis in putridis levans, semper bona, e contra alvus valde

aquosa spumans nigra, æruginosa, varia, splendens, oleaginosa maxime foetens, colliquans quocunque morbi statu perniciosa, nec non suppressa quam excipit singultus, uti & hæc quæ invito & inscio ægro fit. Vermes vivi exeuntes non datis anthelminticis mortem præsagiunt.

§. 322. Urinarum involuntaria quoque excretio pessima, nec non urina sanorum simillima in acutis, nigra pariter, nunquam talem vidi, bona quæ fuit repente mala facta. Copiosa, tenuis limpida oleaginosa, colliquativa admodum, cruenta, putrida maximeque foetens, contentorum expers, turbida subjugalis & jumentosa, permanens sine sedimento, rubra nimis: stranguria, dysuria & urinarum totalis suppressio, qualem vidi septiduanam in gastritide a veneno acri, uti tarde nimis constitit, nulla urina in vesica exsistente. In hystericis & hypochondriacis urinæ tenues pallidæ non tam tristis augurii ac in aliis. Sedimentosa, hypostatica tempore critico emissa bona omnino censetur. Vidi cum Hippocrate ægros lente convaluisse nullo pepasmi signo in urinis comparente. Iterumque vidi quos urina sedimentosa critica non servavit. Adeo certum est plura debere concurrere signa ad bonam judicationem: sæpeque unum malum plus valere ad interitum prænoscendum, quam plura bona simul ad sanitatem prædicendam.

§. 323. Sudores diebus imparibus erumpentes, æquales calidi per totum corpus boni; e contra

tra si diebus paribus erumpunt vel toto morbi decursu sub infirmis viribus. Mali sunt quoque partiales in facie maxime cum ejusdem summa rubedine præcipue. Pessimi quoque frigidi viscidi, aut foetidi. Desudationes seu sudatiunculæ hinc inde erumpentes, non multum boni afferunt; nullum enim paucum criticum.

§. 324. Eadem ratione stillæ sanguinis paucæ atræ ex naribus non probantur; pariterque sanguinis profusiones nimiæ, præsertim si cum idea morbi non conveniunt, uti in putridis malignis. Ceterum febrès ardentes inflammatoriæ, narium hæmorrhagia larga die decretorio feliciter terminari amat; subinde & hæmorrhoidum fluxu in assuetis; mensium profluvio in foeminis, nec non lochiorum in puerperis.

§. 325. Fiunt & interdum quædam translationes seu metastases materiæ morbosæ quæ deponitur quadam in parte & in pus sæpe fausto omine convertitur, vocantque abscessum: qui in quacunque sæpe corporis parte formantur & præcicipue circa aures, quando parotides dicuntur, de quibus in genere observatur, parotidem non suppurantem malam esse, uti & suppurantem aliquando cum aliis signis non bonis. Omnis abscessus ut salutem afferat, necesse est, proportionatæ sit magnitudinis, quo materies apta suppuratione omnis expurgari possit. Præterea notandum quod omnis metastasis ad cerebrum, pulmones, fauces atque ventriculum pessima: Econtra ad

ad habitum corporis & à centro ad corporis peripheriam puſtularum eruptione, in ſuppurationem abeuntium, aut ſcabie, uti obſervavi aliquando poſt febrim putridam optima. Maculæ vero purpureæ & nigræ, ſymptomaticæ ſunt malique ominis. Ulcera quoque & antiqua & recentia, morbi tractu exſiccata, malum protendunt.

§. 326. Inter actiones animales, pudoris neglectus, inſolitus ægro indecens decubitus, ſputatio in adſtantes, ferox reſponſum a modeſto olim homine, garrulitas in taciturno, taciturnus in garrulo licet non adſit aphonia, male ominantur. Sic etiam floccos carpere aut colligere; palpitationes ſollicitæ, propendentia pedum e lecto quaſi neglectim, eorumque denudatio continua; malum quoque ad pedes delabi, manusque habere protenſas, ſtatimque ſponte concidentes quando elevantur; totius corporis gravitas, inde & decubitus ſupinus, vel & in ventrem velle cubare qui in ſanitate non ſolitus eſt; erectum ſedere velle & e lecto ſurgere, membrorumque continua jactatio & inquietudo ſumma. Atqui cubare ut in ſtatu ſano, corpusque facile converti, alacriter aſſurgere optimum eſt.

§. 327. Motus vero qui fiunt involuntarie in ægrotis magis timendi ſunt, utpote convulſivi & ſpasmodici. Damnatur ergo colli contorſio cum ſumma dyſphagia ſi non a tumore, pariter ſtrangulatio talis repente incidens, tendinum ſubſultus,

tus, si medicus pulsum tangit manuum retractio aut earundem tremor; pavores in somno nec non singultus, qui si post aliquam evacuationem profusiorem, aut a ventriculi inflammatione, a summo humorum acredine aut corruptione & spirituum maxima ataxia, lethalis; si vero a saburra in primis viis stabulante & aphtharum præcursor non ita.

§. 328. Exitialia censentur etiam sensus ardoris & doloris vehementis circa cor, hypochondria aliaque viscera, dolores ad jugulum sine tumore apparente; cervicis durities dolorosa cum tendinum distentione, vesica dura & dolorosa nec non lumborum dolor atrox cum anxietate summa circa præcordia.

§. 329. Ut summa sensilitas, sic & summa insensilitas & stupiditas damnanda in ægrotis, indeque non inepte præsagia desumunt quidem medici a medicamentis efficacioribus non operantibus, quod sæpissime observatur in febri puerperarum, ubi nec ab emeticis efficacissimis moventur. Verum enim vero vesicantium effectum & inefficaciam æque ad mortem ac ad salutem portendere compertum habeo: vidi enim sæpissime servatos vesicantibus non operantibus, iterumque mortuos alios iisdem operantibus. Leypothimiæ & in initio & in statu morbi funestæ.

§. 330. Ut de colore corporis quid dicam, attendunt medici præsertim ad icterum, quo corpus colore tingitur flavo, & hic nunc bonus nunc malus

malus habetur. Sic icterus post nonum aut undecimum diem sine tumore aut duritie hypochondriorum laudatur. Icterus vero ante septimum diem culpatur.


§. 331. Calor quoque corporis suavis æqualis, per totum corpus diffusus, cum corporis mollitie optimus habetur; æstuans vero topicus & viscerum præsertim malum. Frigus vero ubique noxium, & extremorum aut extremitatum frigus ab omni ævo exitiale habitum fuit. Dolosa quoque est frigoris in calorem mutatio sine aliis signis evidentibus salutem judicantibus.

§. 332. Corporis ægroti habitus demum sibi simillimus bonus, valde vero a naturali abludere, a statuque sano degenerare malum. Summa atque subita emaciatio, facies collapsa, caput erectum haud sustinere posse, animique omnimoda dejectio, quam maxime timenda.

§. 333. Hypochondria mollia non dolentia, bona; dura, tensa cum ventris meteorismo & intumescentia, excretionibus alvinis non cedente, malum omnino.



FORMU-



FORMULAE MEDICINALES.

No. 1.

℞. *Tartar. emetic.* gr. III.
Aq. ſtill. menth. unc. III.

M. F. Potio una vel duabus vicibus intervallo horae unius ſumenda.

No. 2.

℞. *Rad. ipecacuanh.* ſcrup. I.
Tartar. emetic. gr. I.
Sacchar. albiſſim. gr. X.

M. F. pulvis una vice ſumendus.

No. 3.

℞. *Aq. Laxativ.* V. unc. I & ſemis.
Sal. polycreſt. drachm. I.

M. F. hauſtus.

Si forma ſolida vero arridet

℞. *Rh. optim.* ſcrup. ſemis.
Rad. Jalapp. ſcrup. I.
Cremor. tartar. gr. X.

M. F. pulv. pro una doſi.

No. 4.

℞. *Decoct. hord.* libr. I.
Sal. culinar. unc. I.
Sacchar. ruff. unc. II.
Ol. commun. unc. II.

M. F. Clysma calide applicandum.

No.

No. 5.

℞. *Arcan. duplicat.* gr. X.
Stib. diaphoret. ill. gr. III.
Cremor. tartar.
Lact. ſulphur. ana ſcrup. ſemis.
M. F. pulv. No. 6.
Quorum omni bihorio capiatur unus.

No. 6.

℞. *Stib. Diaphoret. illot.* ſcrup. I.
Nitr. depurat.
Arcan. duplicat.
Lact. ſulphur. ana drachm. I.
Oxymell. ſimpl. unc. I.
Aq. flor. ſambuc. unc. IV.
M. F. mixtura temperans
e qua omni bihorio detur cochlear.

No. 7.

℞. *Mucilag. gum. arab.* q. ſ.
Camphor. drachm. ſemis.
Acet. optim. unc. ſemis.
Syr. acetoſ. citr. unc. I.
Aq. ceraſor. nigr. unc. IV.
M. dentur omni bihorio duo cochlearia.

No. 8.

℞. *Cort. peruv. ſel.* unc. ſemis.
Rad. ſerpent. virgin. drachm. I.
Coq. in *Aq. font.* unc. VIII.
ad remanent. unc. VI. col. adde
Sp. vitriol. d. drachm. I & ſemis.
Syr. acetoſ. citr. unc. I.
M. ut ſupra.

No.

No. 9.

℞. *Ferment. pan.* q. ſ.
Semin. ſinap. anglic. unc. I.
& c. ſ. q. *acet. optim.*

F. ſinapismi plantis pedum applicandi.

No. 10.

℞. *Arcan. duplicat.*
Tartar. vitriol.
Sal. polycreſt. ana gr. X.

M. F. pulv. No. X.

Quorum unus ter aut quater de die aſſumatur.

No. 11.

℞. *Extract. abſynth.*
— — *centaur. min.* ana drachm. I & ſemis.
— — *rhabarb.* drachm. II.
Sulphur. aurat. 3tiae praecipit. ſcrup. I.
Aquil. alb. gr. X.

M. F. L. A. pil. ſing. gr. III.

Quarum capiantur tres ter de die.

No. 12.

℞. *Sal. polychreſt.* dr. II.
Syr. 5 rad. aperient. unc. II.
Opii pur. gr. II.

Aq. ſtill. ferment. Card. Bened.
— — — *Abſynth.*
— — — *Rut.*
— — — *Majoran.*
— — — *Menth.* ana unc. I.
Extract. abſynth. unc. II.

M. cap. cochl. I. omni $\frac{1}{4}$ horae. Superbib. unc. IV. ſequentis Decoct. poſt ſingula quaeque.

No. 13.

℞. *Rad. imperator.* dr. VI.
Lign. ſaſſafr.
— *ſantal. rubr.* ana unc. II.
Fol. virg. aur. M. II.
Flor. centaur. minor. unc. ſemis.
Sem. contuſ. Dauc. cretic. drachm. VI.

Infuſa vaſe arcte clauſo per horas II. absque ebullitione, ſed fere fervida, dein parum ebulliant, tum Decoct. Pint. II. exhibe.

No. 14.

℞. *Cort. peruv. ſel.* unc. II.
Herb. abſynth.
Summit. centaur. min. ana unc. I.

Infund. in *vin. alb.* libr. IV. Per 48 horas; dein coland. & fortiter exprimend. exhibe. Bibantur inde omni bihorio unc. II. apyrexias tempore.

No.

No. 15.

℞. *Cort. peruv. in poll. redact.* unc. I.
Laud. pur. gr. II.

M. F. pulv. divid. in p. aeq. No. XVI.

Capiat omni bihorio unum.

No. 16.

℞. *Cort. peruv. sel.* unc. I.
Limat. Mart. recent. non rubigin. gr. XX.
& c. s. q. *Syr. Card. Benedict.*

F. L. A. electuar. de quo

capiat quantitatem nucis moschatae

omni bihorio.

No. 17.

℞. *Cort. peruv. optim.* unc. semis.
Coq. in aq. font. unc. VI.
ad tert. part. consumption.

Cola dein & calide injiciatur clysma ter de die.

No. 18.

℞. *Cort. peruv. ſel.* unc. II.

Coq. in optim. *Vin. Rhenan.* libr. I.

Colat. calide imbibantur Linteamina vel pannum Laneum & abdomini adhibeantur ſaepius de die renovanda.

No. 19.

℞. *Cremor. tartar.* unc. ſemis.

Rh. optim. drachm. II.

M. F. pulv. capiat omni trihorio parvum cochlear.

No. 20.

℞. *Liquor. C. C. ſuccin.*

— — *anod. min. Hof.* ana drachm. II.

M. bis aut ter de die 40 gut. in vehiculo.

No. 21.

℞. *Cort. peruv. optim.* unc. I.

Rad. Serpent. Virgin. drachm. II.

Coque in aq. fontan. unc. VIII.

ad remanent. unc. VI.

col. add.

Camphor.

Camphor. drachm. ſemis.
Spirit. Mindergr. unc. ſemis.
Syr. Alth. Fern. unc. I.
M. omni bihorio cochlearia duo.

No. 22.

℞. *Camphor.* gr. II.
Nitr. depurat. gr. X.
Cremor. tart. gr. XV.
Chel. cancr. pp. gr. V.
M. F. pulv. No. X.
quorum unus omni capiatur bihorio.

No. 23.

℞. *Moſch. oriental.* gr. X.
Sacchar. albiſſim. gr. XX.
M. F. pulv. No. 6. quorum unus capiatur omni trihorio; quod ſi placet,
Moſchi integra addatur drachma.
Mixturæ vel Decocti unc. VI.

No. 24.

℞. *Stib. diaphor. illot.* ſcrup. I.
Arcan. duplicat.

Nitr. depurat.

Lact. Sulphur. ana drachm. I.

M. F. pulv. divid. in p. aeq. No. VI.

Capiatur unus omni bihorio.

No. 25.

℞. *Oxymell. ſquill.* unc. ſemis.

Syr. Diacod. unc. III.

M. omni bihorio cochlear.

No. 26.

℞. *Maſſ. pil. de cynogloſ.* drachm. I.

F. pil. ſingul. gr. II.

Capiantur duae hora decubitus.

No. 27.

Acetum prophylacticum quatuor Latronum dictum.

℞. *Fol. rut.*

— *ſalv.*

— *menth.*

— *abſynth.*

— *lavand.* ana M. I.

Superaffund. Acet. vin. optim. Menſur. II.

Stent in infuſione vaſe probe clauſo per quatuor dies in loco calido. col. dein & del. vitro hermetice clauſo addendo ſingul. menſuris vel libr. II. Camphor. drachm. II.

No.

No. 28.

℞. *Oxymell. ſquillit.* unc. III.
Kerm. mineral. gr. V.
M. omni ſemihora cochleare.

No. 29.

℞. *Semin. 4. frigid. maj.* unc. I.
Amygd. dulc. excortic. unc. ſemis.
& in ſ. q. *Decoct. hord.* F l. A.
Emulſ. cuſ. colat. unc. VIII.
add.
Syr. acetos. citr. unc. I.
Aq. cinam. S. V. drachm. II.
M. omni bihorio bibat unc. II.

No. 30.

℞. *Anim. Rhei* unc. II.
Liquor. terr. fol. tart. unc. ſemis.
M. omni bihorio ſemi cochlear.

No. 31.

℞. *Rh. optim.* drachm. I. & ſemis.
Magneſ. alb. drach. I.
M. F. l. A. pulv. divid. in No. VI.
Omni trihorio capiatur unus.

No. 32.

℞. *Rad. Dauc. ſativ.* unc. III.
Coq. in aq. font. ad unc. VIII.
d. coland. & exprimend. add.
Sal. prunell. drachm. I.
Sp. vitriol. q. ſ. ad grat. acor.
F. collutorium ſæpius de die.

No. 33.

℞. *Mucilag. ſem. cydon. c.*
aq. roſ. parat. unc. I.
Borac. venet. drachm. I.
Mell. roſar. unc. ſemis.
Syr. Diamoror. unc. II.
M. F. eclegma.
Saepius de die duo parva cochlearia.

No. 34.

℞. *Decoct. hord.* libr. I.
Coll. add.
Nitr. depurat. drachm. I.
Sp. nitr. d. drachm. II.
Rob. ribeſior.
Oxymell. ſimplic. ana unc. I.
M. capiat inde omni bihorio unc. II.

No.

No. 35.

℞. *Aq. cerasor. nigr.* unc. VI.
Sp. sulphur. p. camp. q. s.
ad grat. acidit.
Nitri depurat. drachm. I.
Syr. acetos. citr. unc. I.
M. D. omni hora cochlearia duo.

No. 36.

℞. *Sal plantar.* drachm. I.
Succ. citr. unc. I.
Peract. effervescent. add.
Aq. still. menth. unc III.
D. cochlear I. omni bihorio.

Vel.

℞. *Sal plantar.* gr. X.
F. *Pulv. dispens.* in 6plo.
D. omni bihorio unus c. s. q.
Succ. citr. in actu effervescentiæ.

No. 37.

℞. *Gum. arabic. crass. pulv.* unc. III.
Coq. in s. q. *Aq. hord.* ad libr. II.
Col. add. *Syr. Alth. F.* unc. III.
Bibat omni bihorio unc. II.

No. 38.

℞. *Anim. Rhei* unc. II.
Liquor. anod. m. II. drachm. II.
M. omni bihorio duo cochlearia parva.

No. 39.

℞ *Decoct. hord.* libr. I.
Col. add. *elect. diascord. F.* drachm. I.
M. F. enema.

No. 40.

℞. *Herb. resolvent.* unc. II.
Menth. crisp. unc. I.
F. saccul. coquend.
in s. q. *vin. alb.*
Expressusque calide abdomini adhibe.

No. 41.

℞. *Ol. amygd.* d. recent. express. unc. II.
Succ. citr. unc. I.
Syr. Alth. F. unc. II.
Omni bihorio cochlear.

No. 42.

℞. *Milleped.* pp. scrup. semis.
Arcan. duplicat. scrup. I.
Rad. squill. gr. III.
M. F. pulvis talis No. X.
Omni trihorio I.

No.

No. 43.

℞. *Rad. Jalapp.* gr. XX.
Trochiſ. Alhand. gr. II.
Aquil. alb. gr. IV.

M. F. pulv. pro adulto.

Omni quadrihorio ſumendus.

Pro infante proportionata aptanda doſis.

No. 44.

℞. *Anim. Rh.* unc. I.
Acet. ſquillit.
Liquor. terr. fol. tartar. ana unc. ſemis.
Spir. ſal. dulc. drachm. II.
Syr. Alth. F. unc. I. & ſemis.

M. D. omni trihorio gt. 40. 50. in vehiculo.

No. 45.

℞. *Ol. amygd. d. recent.* unc. II.
Sp. ſal. ammon. urinoſ.
C. C. ſuccinat. ana drachm. II.
Camphor. — ſcrup. I.

M. F. Linimentum volatile.

No. 46.

℞. *Ol. amygd. d. recent. express.*
in vitell. ovi solut. unc. I.
Solution. gum. arabic. aquos. drachm. II.
Syr. diacod. unc. II.
— *Alth. F.* unc. I.
M. omni bihorio cochlear.

No. 47.

℞. *Sp. vitriol.* d. drachm. II.
Syr. violar. unc. III.
M. D. omni trihorio cochlear.

No. 48.

℞. *Arcan. 2plicat.*
Magnes. alb.
Rh. optim. ana gr. X.
M. F. pulv. in Xplo.
Omni bihorio unus sumendus.



COMPENDIUM MEDICUM PRACTICUM

PER

FASCICULOS DISTRIBUTUM

FASCICULUS ALTER

INFLAMMATIONES ET DOLORES

SISTENS

AUTORE

SALOMONE THEOPH. DE MEZA,

MEDICINAE DOCTORE ET POLIATRO HAFNIENSI, SOCIETATIS MEDICAE HAFNIENSIS MEMBRO ORDINARIO.



HAFNIAE,


APUD CHRIST. GOTTL. PROFT.

BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.

1780.



PRAEFATIO, INFLAMMATIONIS THEORIAS EXPONENS.



§. I.

Medicinam facere ſine ſufficiente morborum theoria, nihil aliud eſt, quam ludere de corio humano, hominum vitam deſpicere, exiſtimationi ſui parum ſtudere. Vera autem firmaque petenda ex obſervationibus fideliter factis, ex morborum hiſtoriis exacte annotatis, ex cadaverum inſpectione, animalium viventium diſſectione. „Longarum obſervationum praeſidio, inquit Baglivius, inſtructa mens ſagax potiſſimam curandorum hominum rationem aſſequitur. Lectio librorum quoque neceſſaria, praecipue iis, qui non adeo aptam nacti occaſionem ad propria inſtituenda experimenta, magna tamen cum cau-

tione

tione authores evolvendi, ut nova doctrinae addantur adjumenta, non vero, ut nova errandi caufa ibidem inveniatur, cum plurimi faepe ex falfo praejudicio, ex amore proprio, ex refpectuve in Magiftrum, ex reverentia in Authoris famam, tandem ex fui ipfius temperamento credant, ibidem quaefitum invenire. Quidam nimis fegnes in meditando aliorum placitis acquiefcunt, iterum quidam impatientes animo ingenioque mobiles omnia ab aliis dicta pro ratis accipiunt. E contra funt, qui veterum doctrinam derident, novisque hypothefibus fibi nomen facere cupiunt, nec veritatis amore, fed gloriolae caufa, famaeque ergo a veterum opinione difcedere amant, meliora videntes, deteriora fequentes, ut fe quoque quid praeftitiffe Medicinaeque Pomoeria ampliaffe videantur: quin immo novas aliquando tantum quaerunt voces, nova nomina, fibi aliisque fucum facientes, dum eorundem hypothefes exacte cum antiquioribus conveniunt, nifi quod aliis verbis proponantur aliisque nominibus adornentur. Alii forfan antiquorum doctrina prorfus imbuti, deque horum fententia firmiter perfuafi, imitatione coeca, affentatione, aucupandaeve gratiae cauffa eandem fectantur novitatem. Aemulatione erubefcunt alii fidem legemque antiquam fequi, nuper inventorum, omniumque menfarum facile fiunt affeclae nullo examine praevio. Inde ergo tot novae theoriae

in

in aetiologia morborum, tot novae hypotheſes in phaenomenis explicandis, remorantes artis Appollineae cultores, impedimentaque ſtudio medico ſiſtentes. Indeque demum tot novae doctrinae in methodo medendi, utinam ſine aegrotantium detrimento, ſtabilienda. Quod autem praecipue de theoria inflammationis valere, hoc praefamine patebit.

§. II. Tanta datur varietas in ſtabilienda inflammationis aetiologia, ut Tyrones medici neſciant, qualem admittere debeant. Quidam aſſumunt ſanguinis effluxionem, quidam iterum ejusdem congeſtionem et retentionem; alii putrefactionem ſeu ſanguinis corruptionem; plerique ſanguinis ſtaſin et inſpiſſationem, quidam vero ejusdem attenuationem. Chemici fermentationem incuſant. Non nulli acidum ſtatuunt inflammationis cauſam. Haec de ſanguine.

§. III. Solidorum ſeu vaſorum culpa naſci inflammationem, aliorum eſt aſſertio, ſi vel anguſtantur vel et dilatantur, dum ſcilicet humor ruber ingreditur, ubi non niſi tenuior liquidus ingredi deberet, tunc dicitur inflammatio ab errore loci, quam Celsus ſolam agnovit, dum ait: „Si ſanguis in eas venas, „quae ſpiritui accommodatae ſunt, transfundi- „tur & inflammationem, quam Graeci Phleg- „monem nominant, excitat.„ Plurimi et antiquo-

tiquorum & recentiorum, obſtructionem requirunt ad inflammationem formandam, pauciores vero acrimoniam, ſtimulum quaerunt, motus oſcillatorios augentem, majorem humorum affluxum incitantem, ſtricturam vaſorum ſpaſmodicam inducentem, levemque obſtructionem, inchoante ſaltem morbo, procreantem, ergo potius effectum quam inflammationis cauſam, neque ſemper ejusdem prodromum affirmant. Sed

Non noſtrum inter vos tantas componere lites.

Placet tantum, omnes theorias, de inflammatione notas, ab antiquis temporibus recenſere, easque tyronibus exponere.

§. IV. Rite ergo mihi procedere videor, ſi verba pro antiquorum & Neotericorum ſententia ex ipſis fontibus hauriam hicque tradam, a Galeno quidem incipiendo. Hic autem pro inflammationis cauſſa, ſanguinis effluxionem admittit & quidem in tela celluloſa ſedem morbi eſſe habet, dicens: „Quum ſanguis calidus copioſior in aliquam animalis partem „procubuit, majora ejus vaſa protinus diſtenduntur, quae plenitudinem non ferunt, ab „his deinceps, quae minora ſunt, mox ubi nec „in iis ſatis continetur, exſudat foras in ampla illa ſpatia, quae inter vaſa ſunt: ſic, ut „etiam omnia, quae in circumpoſita carne ha- „ben-

„bentur, loca occupet, atque hic quidem eſt „Phlegmonis affectus. Alibi ſequentia profert. „Quum ſanguis in aliquam partem congeritur, ut ab ejus partis vaſis nequeat contineri, exſudat aliquid roris inſtar ex ipſis vaſis in muſculorum interſtitia utique tumor „ex plenitudine oritur. Non aliter ſentire videtur ORIBASIUS. „Inflammationis, inquit, „initium eſt, quum pars impletur ſanguinea „ſubſtantia; incrementum vero, quum id, quod „eſt in loco affecto, putreſcere incipit, calorem „praeter naturam invehit, effuſioque et flatus „gignitur. Neque ab eo diſſentit AETIUS, „dum ait: „Eſt inflammationis principium, „quum primum pars ſanguinea materia repletur, augmentum vero, quando affluxus ceſſat, „et ſanguis in loco affecto diſſolvi incipit, at„qui tunc caloris incrementum et diffuſio. „Eodem fere modo diſſerit PAULUS AEGINETA. „Inflammatio, ait, eſt tumor rubicundus, renitens cum dolore et calore ex ſanguine bono ortum habens, qui quandoque ex „toto corpore eo defertur, quandoque in „ipſa parte redundat, ut a vaſis contineri non „poſſit, ſed inſtar roris emittatur, in intermedios vacuos locos. Ad poſteriora tempora jam deventus, verba FERNELII affero, de „ſede inflammationis ſic loquéntis: „Quum „enim venae arteriaeque minores immoderata ſanguinis copia diſtenduntur in minores „quaſi onus deponunt, et ex his demum in mi-

„nimas. At cum per earum oſcula, perque „tenues earum meatus ſanguis, cohiberi non „poſſit, effluit, illabiturque in ſpatia vacua, „quae intra fibras ſunt primorum corporum „praecipueque muſculorum. In telam celluloſam ex recentioribus HALLERUM ex cadaverum inſpectione inflammationem collocaſſe, refert PLATNER filius. Suam ſententiam probare conantur ex ſuppuratione & gangraena, quae in tunica celluloſa locum habet. Haec ſententia vero antiquitati fere propria, jam improbata hodie habetur, nec amplius creditur, humores extra vaſa in vacua dilabi ſpatia, vel, quod idem eſt, ſanguinem effluere in poroſam atque cavernoſam partium ſubſtantiam, cauſamve proximam inflammationis conſtituere.

§. V. Aliam viam autem ingreſſi ſunt BOERHAVIUS atque diſcipuli ejus, cauſam inflammationis eſſentialem in ſanguinis retentione, ſeu arteriarum obſtructione quaerentes. Ipſum BOERHAVIUM in aphoriſmis audiamus. „Inflammatio, inquit, ignis, phlegmone, ob „cauſae & effectuum ſimilitudinem ab igne „nomen habet, eſtque ſanguinis rubri arterio„ſi in minimis canalibus ſtagnantis preſſio et „attritus, a motu reliqui ſanguinis moti & per „febrim fortius acti, quod ergo fieri poteſt „vel in finibus arterioſis, vel in vaſis ſeroſis „lymphaticis, aliisve minoribus arterioſis di-

„lata-

„latatis ofculis admiffos globos rubros, aut „alia fluida elementa craffa per fines trans- „mittere non potentibus.„ A magiftro ne hilum quidem difcedit difcipulus & eruditiffimus fuus commentator VAN SWIETEN, alius quoque difcipulus DE GORTER nempe eandem tueri fententiam videtur, dicens in praxis medicae fyftemate: „Globulorum rubro- „rum fanguinis introitus in arterias lympha- „ticas praebens tumorem rubrum dolentem, „ardentem, non facile digitis prementibus „cedentem, perfiftentem, vocatur inflamma- „tio.„ Verum enim vero et in motu majori tantum, et non in obftructione, etiamque in ftimulo acri, fpafmodicas vaforum ftricturas inducente, aetiologiam inflammationis ipfum quaefiviffe DE GORTER, dein patebit. Obftructionem admittit SAUVAGES in inflammatione. Neceffum itaque eft, inquit, ad inducendum tumorem phlegmonoideum, ut auctis & repetitis ictibus cruor in vafcula diducenda propellatur a retro dum antice ipfi refiftitur, five ab impacto vifcido obftruente, five a conftrictione fpaftica membranae, partem aut glandulam aut vifcus ambientis. OOSTERDYK SCHACHT quoque proximam inflammationis caufam, effe ftagnationem fanguinis in vafis arteriofis cum majori impetu humorum in ftagnantem fanguinem irruentem. Elegantiffimus TRALLES extra omnis dubii aleam, pofitam effe vult hanc hypothe-

 fim.

ſim. Sic enim loquitur: „Inflammationem „ſanguineam medici vocant, ſanguinis rubri „ſtagnationem in vaſis arterioſis primi vel ſe- „cundi generis cum impetu totius circuli au- „cto, atque in illum praecipue locum, ubi „ſtagnatio haeret, excurrente. Principium er- „go inflammationis, pergit, ſtagnatio, quae „ſemper fit vel quia ſanguis ex quacunque de- „mum cauſa craſſior redditus, vas arterioſum „non tranſit, vel quia vas illud ex quacunque „cauſa externa incumbente, compreſſum, tran- „ſitum ſanguini negat, vel quia vaſis tunicae „conſtrictae arctiorem ejus alveum efficiunt, „vel quia ſanguis vi adigitur in vas laterale ſe- „cundi generis peregrinum, humori ſangui- „ne tenuiori ſaltem vehendo idoneum, unde „is pergere neſcius, ibi quieſcit ſtagnatque; „puto addit, haec omnia medicis, quibus the- „oria non ſordet, eſſe notiſſima, hosque lu- „benter largituros exiſtimaverim, impoſſibile „eſſe, ut aliter naſcatur inflammatio in corpore „animali vivo.„ Verba quidem notatu digniſ- ſima, quae caeteras omnes opiniones circa in- flammationis geneſin excludunt. „Circulum „humorum auctum, quo cruor in minimis vaſ- „culoſis arterioſis, hujus vel illius corporis „humani partis haerens, majori impetu agita- „tus omnem inflammationis ideam abſolvere, „cuilibet notum eſt, ait NIEFELDIUS, recte „proinde pergit, definitur inflammatio, quod „ſit obſtructio canalis arterioſi cum impetu

„va-

„valido liquidi vitalis, locum obſtructum a „tergo urgentis. Cauſam proximam inflam- „mationis verae conſiſtere in ſtagnatione ſan- „guinis, tum in anguſtiſſimis arteriolis rubris, „quam vicinis ſeroſo lymphaticis obſtructio- „nibus collectis conſtat. Praecedentibus om- „nibus adſtipulatur LUDWIG in adverſariis „practicis, dum ait: Ad inflammationem ve- „ram efficiendam exigitur ſanguis denſus mi- „nimas arterias non niſi aucta vi cordis urgen- „dus, tandem tamen in iis haerens, quo facto „cordi ita reſiſtit, ut hujus incitato impetu in „univerſo corpore non tantum pulſus celer „& fortis, ſed etiam durus efficiatur. Alio- „que loco habet. „Inflammatio eſt ſtaſis cru- „oris condenſati, in minimis vaſis cum impe- „tu ſanguinis naturali majori, praecipue ad „partem affectam ducto. Totam doctrinam hucusque deſcriptam complectitur breviter ASTRUC, dum tres phlegmonis ſtatuit gradus, quorum primum deducere ſatagit ex obſtru- ctione & diſtenſione capillarium, ſecundum ex ſanguinis penetratione in vaſa lymphatica, tertium demum ex ruptione vaſorum & ſan- guinis effuſione in panniculum adipoſum.

§. VI. Deducunt autem ſuam hypotheſin obſtructionis fautores inde, quod generari vi- derint inflammationem ex compreſſione, de- cubitu, ligatione ſtrictiore, contuſione, elon- gatione, pondere incumbente, uſtione & vul- nere.

nere. Poſſe vero haec omnia alia de cauſa fieri aſſerunt anguſtationem vaſorum haud admittentes; immo ſunt, qui negant obſtructionem, ut cauſam tumoris inflammatorii, inde quod ligata arteria non inſurgat tumor; atqui ut mihi videtur ex arteria majori ligata non valet magis concluſio & conſequentia ad minora & lateralia, quam omnimodam ſimilitudinem mechanicam, ſtaticam, hydraulicam, hydroſtaticam inſtituere velle in phaenomenis phyſiologicis et pathologicis, nedum in morborum curatione exponendis ſtabiliendis, in corpore animato, affectibus animi variis obnoxio. Sed haec obiter.

§. VII. Errorem quoque loci praecipue impugnant & Globulorum rubrorum, qui ſolitarii flaveſcentes pallent, aggregationem pro errore loci ſubſtituunt. Atqui in cornea membrana oculi, nemo mortalium unquam ſanguineum globulum vidit, ſi fides phyſiologicis praecipueque HALLERO, in ea tamen ex vaſis rubentibus inflammationis praeſentia arguitur.

§. VIII. Ex iis autem, qui praecipue obſtructionem non admittunt in parte inflammata, ſed eandem ex motu vitali auctiori deducere ſatagunt, ſunt STAHLIUS, DE GORTER, de quo ſuperius jam innuimus, ſe non in obſtructione, ſed et in ſtimulo quodam, in motu

tu majori, quaesivisse inflammationis originem, en ejus verba, quae in *Chirurgia reformata* leguntur. „Motus major cum tenacitate sanguinis ob difficiliorem transitum per „arteriarum extrema, arterias ultra modum „distendens, arteriasque quoque lymphaticas implet, quare motus impingens major „est causa, minime vero obstructio. Motus „circulatorios auctos in toto corpore maxime „si subitaneum superveniat frigus, constringens solida, coagulans sanguinem retinens „humores alias libere circulantes in vasis minoribus.„ Inter causas recenset inflammationis in *Medicinae compendio*. Statuit quidem, dari obstructionem in parte inflammata, atqui non ut causam, sed ut effectum inflammationis, ex majori motu productum-

§. IX. De statu sanguinis autem in inflammatione, antiqui ejus corruptionem, recentiores, et qui obstructionem statuunt omnes, ejus inspissationem & inter recentissimos Hewson ejus attenuationem potius assumit & experimentis probare nititur, sanguinis coagulum facillime in inflammationibus dissolvi. De fermento chemicorum nihil est, quod addam, utpote nullius entis. De acido autem tanquam caussa inflammationis audiendus Tachenius, inflammationem, tumorem vocans genitum a sale acido, quod coagulatione sanguinis inducta, ejus motum circularem intercipiat, et inde rubor, pulsatio, tensio atque dolor

dolor oriatur. Acorem ſanguinis etiam incuſat ETMULLERUS de inflammatione agens. „Haec eſt illa ſpina, inquit, HELMONTII me„taphorica pleuritidis & proprie loquendo ip„ſa pleuritis, peregrina aciditas concepta in „archeo. Pergitque ulterius „eſſe acidum in „pleuritide, ex eo patet, quod in pleuritide „cruor elicitus grumeſcat; „ ulterius exponens cauſam pleuritidis & peripneumoniae, ait, ſanguinis eſſe coagulationem & ſtagnationem ab acido in eo peccante ortam; acidum ſimul membranaceas partes vellicat, hinc ſanguis V. S. emiſſus ſubinde eſt ſemigrumoſus. Acidum vero ab HIPPOCRATE non agnoſci pro inflammationis cauſa indicare videtur hoc ejus effatum. „Qui acidum eructant, non fa„cile fiunt pleuritici.„ Inſurgit quoque contra hypotheſim, equidem damnoſam de acido. WALLISNERIUS „incaleſcimus, ait, atque inde „aura ſuſcepta refrigeramur, pleuritis in „promptu. Quid neceſſe eſt hic acidum invo„care, cum nullum revera peccet, ſed coar„ctatio potius vaſorum intercoſtalium, aut ar„teriae pulmonum membranae a frigore in„ducta? an ilico acidum genitum eſt propter „frigus & in laeſa parte conſedit, ut ſpina? „Nugae, ut opinor. Naſcitur offa, hoc eſt coa„gulum etiam inter ſpiritum vini & ſpiritum „urinae, ubi tamen nullum acidum intervenit. „Sed recentium quorundam palato nihil ſapit,

„quod

„quod non ſit acidum omniumque aures gau-
„dent mordaci rodere aceto.

§. X. Recentiſſimis tandem opinio eſt, inflammationis veram cauſam conſiſtere in quadam irritabilitate nervorum & ſtimulo acri vaſorum ſtricturas ſpaſmodicas producente, cujusque inventionem tribuunt WHYTIO, prae caeterisque excoluit nuperrime PLATNER junior. Atqui HOFFMANNUM jam quaeſiviſſe cauſam inflammationis in ſtrictura ſolidorum ſpaſmodica certum eſt. Tale quid quoque DE GORTER ſtatuiſſe, patere credo ex ſequentibus. „Ut a manifeſtis cauſis irritando fibras
„motrices arteriarum generari vidimus inflam-
„mationem, ita quoque de occultis ſentien-
„dum, ſi ſponte fiat in corpore inflammatio,
„quia humor ille, qui ex glandulis arteriarum
„in earum cava deponitur, aeque poteſt ut
„ſuccus Oeſophagi, inteſtinorum, viae urina-
„riae, tracheae arteriae, bronchiorum, atque
„totius membranae ſchneiderianae vitiari &
„acris fieri, in huius acrimonia ſtimulante lo-
„carem cauſam internam inflammationis, ſi in
„quodam ramo, & febris ardentis, ſi in omni-
„bus arteriis hujuſcemodi irritatio fiat, aut ſi
„mavis ſuccum inter fibrillas nervoſas circu-
„lantem accuſare, quod inflammatio magis ſe-
„quatur prorependo nervi quam arteriae cur-
„ſum & haec ſententia forſan ſuos inveniet
„defenſores. Ex irritabilitate fieri inflamma-
„tiones, affirmat GAUBIUS.

§. XI. Forte omnes ſententiae allatae locum habere poſſunt, cum, ſive a ſtimulo irritante, ſive a ſanguinis ſpiſſitudine arteriae obſtrui poſſint omniaque phaenomena, quibus cognoſcimus inflammationem praeſentem, vel quae eidem ſuperveniunt, apte exponere inde liceat, idque ex ipſis PLATNERII verbis intelligi poſſe, puto. Ait enim, „inflammatio eſt „motus auctus ſanguinis in corpore vivo, quo „ſuccus in minimis arteriis partium mollium „quieſcens majori vi agitatur, ut is vel mobi„lis reddi vel in pus verti queat. In omni in„flammatione humor quidam in aliqua parte „quieſcit, plerumque ſanguis. Arterias obſtructas quidem admittit, ſed non ut cauſam aut ſedem morbi, haec enim ſecundum mentem ſuam frequentius tunicam celluloſam ob anguſtiam vaſorum & ſanguinis denſitatem occupat. Neque in methodo curatoria nullam affert diverſitatem haec ſententiarum diverſitas. Ex omnibus opinionibus enim, ſi acidum inflammationis cauſans ſtatuentem excipias, remedia eadem, venae ſectio ſcilicet & refrigeratio ad celeritatem ſanguinis minuendam, cruoris firmitatem attenuendam ejusdemque acrimoniam corrigendam commendantur.

§. XII. Reſtat autem, ut quaedam adducantur rationes pro fautoribus ſtimuli facientes. Inflammationem produci poſſe obſervant ab omni, quod ſanguinis affluxum verſus de-

ter-

terminatum locum excitare valet, inde V. C. a frictionibus, epispasticis rubedo & inflammatio. A voluntate imaginationeve erigitur membrum virile, affluente sanguine copiosiore in corpora cavernosa. Ab acribus calefacientibus applicatis, irritamento laesionis in vulnere, punctura, spina acuve infixa, contusione, attritu, humore acri interne orto vel externe applicato, venenis acrioribus, vellicatione immediata nervorum, ablatione mucilaginis. Haec enim omnia stimuli ratione possunt majorem inducere motum, oscillatorium vasorum augere, circulum interturbare, sanguinis fluxum in quadam parte inhibere, stimulumque iterum in viciniores partes communicare, veramque inflammationem sine obstructione praegressa creare.

CRUSTA INFLAMMATORIA.

§. XIII. Circa crustae albae in superficie sanguinis educti ut plurimum in inflammationibus apparentis originem, non minus desudant medici, quam circa theoriam ipsius inflammationis. Sunt enim, qui ex calore aestuve, iterum qui ex frigore, ex aeris accessu, ex velocitate, qua effluit, deducere conantur; iterum alii sanguinis densitatem, alii vero tenuitatem potius, uti HEWSON arguere contendunt; quidam demum causam hujus coaguli

 in

in acido coagulante, quidam in ſceptica quadam vi, tandem in ſpecifico miasmate ſanguini mixto quaerunt.

§. XIV. Lympham hominis ſani calore aquae bullientis coagulari & albumini ovorum haud diſſimilem fieri videntes quidam, crediderunt lympham in ſanguine pleuriticorum ab eodem gradu caloris coagulatum iri, atqui ſanguis nunquam in hoc gradu incaleſcit, nec incaleſcere poteſt in corpore vivo ſine ſubita atque omnimoda deſtructione, cum ex tali gradu e contra probaverit Hewson, ſanguinis cruſtam citius ſolvi, aeque in atmosphaera calida ac frigida coagulum fieri, obſervavit idem, etiam in minori orgasmo & in debilioribus citius formari coagulationem, quam in robuſtis cum majori motu. Annotavit quoque Sauvages, majorem calorem requiri ad lympham coagulandam extra corpus, quam qui adeſt in corpore pleuritide laborantium & in Rheumatiſmo, ubi febris non valida, gradusque caloris ergo minor, profundius coagulari, molliusve ſanguinem, quam quidem in peripneumonia vera. Dein cum certum ſit, a ſpiritu vini frigido, ſanguini affuſo cito coagulari, ex frigore in corpus exaeſtuans ſuſcepto talem ſanguinis diatheſin produci, calori omnem adimunt potentiam talis cruſtae procreandae, aeris acceſſui tantum Hewson concedit illam vim.

§. XV.

§. XV. Certiſſimis experimentis conſtitit poſt SYDENHAMUM, cruſtam eo denſiorem formari, quo major ſanguinis rapidiorque fluor et contra. Etiam quo vaſe anguſtiore excipitur cruor, quove altiori, eo denſiorem, quove latiori planiorive, eo tenuiorem generari lymphae coagulum. Lumen magnum parvumve venae in cauſa eſſe denſioris vel tenuioris cruſtae, nec non loci temperiem, in quo aſſervatur, calidi cruoris poſt miſſionem agitationem vel quietem multum ad hoc contribuere, non dubitat affirmare DE HAEN contra HEWSON. Fallere vero haec omnia, certo certius eſt. Vident haud infrequenter medici & chirurgi, ſanguinem guttatim effluentem denſiſſimam dare cruſtam; an vero ſi rapidius fluxiſſet tenuiorem aut denſiorem adhuc formaſſet cruſtam?

§. XVI. Sanguinis coagulationem deberi acido, SYLVIUS eſt author, indeque inflammationem curari vult ſalibus volatilibus ad coagulum ſolvendum. A ſpiritu vitrioli ſulphurisque pariter ſanguinem cogi in maſſam ſtrictam albeſcentem, conſtat experimentis BOERHAVIANIS; ſepticas particulas in illa deliteſcere cruſta credit PRINGLE, quia facillime ſolvitur et putredinem contrahit. A materia peregrina, pinguedine forſan generari cruſtam, ſtatuit BERGEN. Nihil aliud eſſe, quam fibras ſanguinis, putat SYDENHAM; proprium ſanguinis

gluten a caeteris ſecretum coagulatumque ſtatuunt alii. Dari miaſma peculiare, ſupponit SAUVAGES in morbis inflammatoriis, quod prae caeteris lymphae coagulationi favet, praeſertim cum varia quidem toto coelo diverſa adſint, quae tale procreent coagulum, a morſu ſerpentis crotalophori lympha prodigioſe coagulatur, a quibusdam ſalibus fixis coagulatur quoque. Acrimonia venerea, arthritica, rheumatica, virus varioloſum, morbilloſum, ſcarlatinum, talem materiem aut cruſtam ſanguine miſſo exhibent. Quin et diatheſis naturalis quorundam caeteroquin ſaniſſimorum in ſanguine educto, ſemper hanc exhibet materiam. In venae ſectionibus prophylactice gravidis ſubinde inſtitutis ſemper tegit ſanguinem cruſta. Sanguis inflammatorius ſaepiſſime apparet in hydropicis chloroticisve. Hiſce ergo omnibus rite penſitatis non erubeſco cum SWIETENIO veritatem fateri de incertitudine, quid de hac pelle tenaci, ſanguinis rubrae parti ſemper arctiſſime cohaerenti ſtatuendum ſit.

§. XVII. Monendum tamen, neque abſentiam, neque praeſentiam cruſtae ſolam valere ad prognoſin vel ad normam deſumendam in venae ſectionibus inſtituendis, omnia ſymptomata accurate una pariterque obſervanda ſunt, inde etiam habet DE HAEN, „neque certius „eſt regula ſtatuens magnitudinem cruſtae „gra-

„gradatim minui augerive, pluries vidimus „eandem denſam duramque in vaſculo primo, „nullam in altero, in tertio majorem, pau- „cam in quarto, mucoſam in quinto, uno „verbo omnes poſſibiles cruſtarum tranſpoſi- „tiones variis in aegris contemplati ſumus. Neque ipſe dubito, omnibus practicis contigiſſe ſimilia videre, quin ſaepius ſanguinem prima vice diſſolutum ſeu coagulum putridum inveni, altera vero vice denſiſſima cruſta phlogiſtica obductum. Praeterea commonſtravit exemplis idem DE HAEN, ſtadium inflammatorium intra quatuordecim dies ſubinde non mutari, dum tardius venae ſectione celebrata, ſeptimo ſcilicet vel octavo die, pauloque ante obitum duodecimo die morbi maligni cum petechiis, cruſta valida deprehenſa fuerit in ſanguine.

INFLAMMATIONIS EJUSQUE SYMPTOMATUM THEORIA.

§. XVIII. Phlegmonen HIPPOCRATI dicitur ardere, graecorum quibusdam calor dolorificus, qui in quibusdam tumoribus adeſt. Neotericis hinc affectus phlegmone audit. Phlegmone autem, inquit GALENUS, id eſt, „inflammationes a veteribus vocabantur, quae „ſunt veluti phlogoſeis, id eſt inflamina vel „incenſiones. juniores affectui ex calidis, qui

 „fit

„ſit cum tumore duro atque dolore pulſatili
„hoc nomen accommodant.

§. XIX. Inflammatio eſt externa ſeu topica, vel etiam interna. In illa adeſt tumor renitens, rubedo & calor naturali major, cum dolore pulſatorio; in hac calor & dolor punctorius, praeſertim ſi membranaceas obſedit partes, tantummodo percipiuntur; in peripneumonia & hepatitide dolor eſt potius gravativus, in eryſipelate rubedo roſacea preſſione digitorum diſparens, citoque preſſione ſublata rediens, dolorque ſatis pungens. Caetera ſymptomata in inflammatione ſunt febris plus minus acuta; laſſitudo, ſitis, linguae ariditas, anorexia, urina rubra, quae febris ſunt conſectaria. Inſomnia dein, inquietudo; jactatio membrorum a dolore producuntur. Ex calore & humorum rarefactione venarum diſtenſio & inflatio fiunt. Sanguis in hoc ſtatu detractus cruſta ſeu pelle alba firma tenaci, ſero haud raro flavo innatanti obducitur.

§. XX. In inflammationibus internis, ſi membranae afficiuntur, variis denotatur nominibus morbus ſc. Phrenitis dicitur meningium inflammatio; pleuritis, pleurae, mediaſtini, pericardiique; gaſtritis ventriculi; enteritis inteſtinorum; cyſtitis veſicae urinariae; metritis uteri; Parenchimatum & viſcerum inflammatio praebent ideam anginae, peri-

peripneumoniae, hepatitidis & nephritidis; partes externae corripiuntur phlegmone ſtricte dicto, bubone, carbunculo peſtilentiali, teſticulorum inflammatione, variolis, morbillis, eryſipelate.

§. XXI. Morbi inflammatorii ſunt vel ſimplices vel complicati; in ſimplicibus vitium quaerendum in ſanguinis diatheſi mere phlogiſtica, qualiscunque illa ſit & a quacunque de cauſa orta; in complicatis multum putredinis ſaepe & humorum adeſt corruptionis, uti in variolis malignis, angina ulceroſa, febribusque putridis & peſtilentialibus.

§. XXII. Omnem inflammationem ſive externam ſive internam vel reſolvendo, exſudandove; vel ſuppurando demum & gangraena & ſcirrho terminari pro varietate partis affectae, pro variaque indole materiae peccantis, omnibus notum eſt. Atqui conſpicua ſenſibiliora ſunt phaenomena harum mutationum in inflammatione topica; ſi enim inflammatio ad ſuppurationem vertitur, rubedo in albedinem tranſit, tenſio & durities aut reſiſtentia mollis fit. Si in gangraenam tranſit, flaccida fit pars. In variolis ſuppuratione peracta, cruſta cutis obducitur nigra exſiccationis tempore. Si pars glanduloſa patitur, ſaepiſſime rubedine diſparente, duritieque absque dolore remanente ſcirrhus naſcitur.

§. XXIII. Materies phlogiſtica in variolis ſpatio duodecim dierum convertitur in pus; in morbillis quinque dierum ſpatio ſufficientem acquirit fluiditatem: duobus vel tribus diebus maturatur furunculus; bubones peſtilentiales citius ad ſuppurationem ducuntur quam venerei. Scorphulae lente admodum ad maturationem perveniunt.


§. XXIV. Inflammationes internas intra paucos dies non ſolutas, manente febri cum horripilationibus ſaepius recurrentibus poſt quatuordecim dies in ſuppurationem abire noſcitur. Atqui ex febris vehementia, ſubitaque doloris ceſſatione, extremorum frigore & pulſu vacillante ſcimus mutari in gangraenam, uti fuſius de ſingulis inflammationibus ſeorſim dictum habetur.

§. XXV. Ad phaenomenorum rationem propius accedendo, rubedo deducitur ex majore compactione molecularum, ſanguinem conſtituentium, inde arteriarum ſanguis ſpiſſus ruberrimus. Ex majori talis ſanguinis ad partem congeſtione rubedinem oriri, apparet evidentiſſime in virgine pudica cum rubore ſuffunditur facies. A materia diſtendente ſtagnante tumor. Ex motu majori cum reſiſtentia elaſticitateque arteriarum pulſatio. A partium diſtractione & diſtenſione vaſorumque dilatatione tenſio & dolor. Ab obſtru-

ctione

ctione vaſorum, vel uti aliis viſum, a ſtimulo, motus oſcillatorios augente, circulus frequentior per libera magis vaſa, cordis contractio celerior, irritabilitas influxum ſpirituum majorem inducens, inde febris origo, attritus major, inde et caloris augmentum, functionum a libera circulatione pendentium laeſio. Vires cordis quocunque modo irritati auctae, ratione habita ad corporis robur, febris abſolvunt ideam. Indeque ex motu cordis aucto virium quoque jactura ergo et magna ſpirituum diſſipatio et ex hac iterum laſſitudo.

§. XXVI. Cum vero decumbente praeſertim aegro major ſanguinis affluxus fiat ad caput, haud mirum, inflammatione laborantes de capitis diſtenſione, gravedine cum ſomnolentia & cephalalgia quaſi, immo ſaepiſſime delirio quoque affici ab impetu ſanguinis in encephalon, indeque commotis fibris medullaribus cerebri.



ELENCHUS CONTENTORUM.

Cap.



COM-



COMPENDIVM MEDICVM PRACTICVM

FASCICVLVS ALTER

DE INFLAMMATIONIBVS ET MORBIS DOLORIFICIS.

CAP. I.

DE INFLAMMATIONE IN GENERE.

§. 1.

Inflammationem adeſſe dicitur, ubi tumor durus acuteque dolens cum rubedine intenſa vehementique pulſatione: quae ſi externas occupat partes, facile patet, non ita vero ſi internas membranaceas aut viſcera. Tum enim non niſi ex dolore plus minus aucto punctorio pro varietate partis affectae, vel & ſumma anxietate, ſi in pulmo-

monibus aut hepate; febrique valida, tum & pulſu duro dignoſcitur. Inflammatio partium externarum ejusque ſequelae ad chirurgicos pertinent morbos. Hic autem de internis inflammationibus praecipue agetur.

§. 2. Occurrunt praeter jam dicta & alia ſigna inflammationis internae. Lingua nempe arida & flava apparet, urina ut plurimum praerubra, vel & limpida nimis in nimia ſanguinis denſitate & ſpiſſitudine emittitur. Cruor coriacea tegitur cruſta. Verum enim vero parum fidendum huic ſigno, cum frequentiſſime adſit in ſaniſſimis; caeteroquin, abeſſeque poſſit in vehementiſſima inflammatione. Varia enim ſunt a SYDENHAMO iam notata, quae generationem talis cruſtae impedire valent, ſi pleno rivo v. c. aut recto filo non fluit, ſed ſtillatim tantum circa brachium exit ſanguis, ſi vas, quo excipitur amplum nimis, vel & etiam in prima venae ſectione, dum ſanguis ſano ſaepe prorſus ſimillimus, ita ut inde DE GORTER deduxerit, cruſtam lardeaceam effectum, non cauſam inflammationis eſſe, ſed de cruſta hac inflammatoria latius in praefamine jam actum. Quin immo & pulſus durities fallit. Mollis enim eſt aliquando in pulmonum phlogoſi praeſertim, debilis eſt in putridis, qui non raro inflammationem habent comitem, morte demum detegendam. Dari etiam inflammationes in viſceribus infimi ventris praecipue clandeſtinas, nullo ſigno detegendas & poſt SIMSONVM

&

& ante HENIGRENIVM noſtrum plurimi cognoverunt medici. Vidi ventriculi inflammationem a veneno arſenicali inductam, gangraena demum & morte terminatam absque ulla febri aliove phlegmonis criterio in pulſu. Vidit & DE ITAEN, absque ullo dolore aliove ſigno, febrim deeſſe in ophthalmia & in aliis externis inflammationibus ſaepiſſime tantum topicam eſſe, omnibus notum eſt.

§. 3. De eſſentia ſeu cauſa proxima inflammationis diſputatur; ſecundum BOERHAVIUM ſtagnatio in arteriis minimis & primi & ſecundi generis, cum motu ſanguinis majore a tergo urgentis, omnem ideam inflammationis abſolvit. Hanc opinionem vero rejicit DE GORTER in *chirurgia reformata* & ſtimulum qualemcunque admittit, motum apicum arteriarum oſcillatorium primo augentem, denique vaſa haec ſpasmodice conſtringentem. Stagnatio autem humoris, qualis equidem apparet in oculorum inflammatione, ut effectus, non ut cauſa conſideranda. Falſo ergo haec ut nova de inflammationibus theoria, WHYTIO tribuitur.

§. 4. Praediſponunt vero ad inflammationes Plethora, robur & vaſorum rigiditas, aetas juvenilis & virilis, temperamentum cholericum, nec non cacochymia varia. Gignendo morbo autem favent frigus vehemens, vaſa conſtringens, ſanguinemque condenſans, calor maximus, humidiora diſſipans, inde & omnes evacuationes ſeroſae

A 2 pro-

profuſiores; acria quaecunque, ſtimulantia ſive applicata, ſive ingeſta, venena, ſpiritus fermentati, potusque frigidus aeſtuante corpore. Praeter frictiones fortes, vulnera, fracturas, luxationes; contuſiones, puncturas, ligaturas arcte appoſitas, compreſſiones, diſtorſiones, combuſtiones; balnea & frigida & calida. Fit quoque inflammatio metaſtatica per translationem materiae morboſae ad hunc vel illum locum.

§. 5. Quinque praecipue modis terminari ſolet inflammatio. Sc. 1. reſolutione, quae ſemper optabilis. Stagnans enim hic reſolvitur & iterum ſano aſſimilatur ſanguini, inter paucos dies nulla excitata evacuatione, nullove incommodo relicto. Fit haec in inflammatione valde benigna, ubi motus ſanguinis non vehemens, pulſus plenus potius, quam durus, cutisque humida. 2. Evacuatione critica, copioſo ſudore praecipue. Hic ſtagnans aſſimilationis haud capax e corpore expellitur per cutis ſpiracula circa ſeptimum, nonum aut undecimum diem. 3. Suppuratione, ubi motus major, quo vaſcula minima rumpuntur & cum fluidis ſtagnantibus diſſolutis miſcentur inque albidum, craſſum, pingue, pus dictum, convertitur. Quodſi prorſus de corpore eliminetur & per ſputa aut urinas evacuatur, perfecta conſequitur ſanitas. Sin minus, & ſanguini miſcetur, febrim hecticam lentamve & chronicam poſt ſe trahet, tabem cito vel tarde funeſtam. Suppuratio vt plurimum fit circa 14tum diem, in-

inquietudine, moloſtaque jactatione, febri remittente, horrore cum doloris diminutione praecedentibus. 4. Gangraena & ſphacelo dum materia peccans in alcali putridum corrumpitur in corpore cacochymico, praecipue cum motu intenſiſſimo omnia deſtruente. Hanc praecedere ſolent, frigoris ſenſus internus cum doloris antea aucti ſubita ceſſatione. Mens antea delira ad ſe quodam, modo redit, virium defectus major fit quamvis falſa lenitate videatur levari aeger, pulſus intermittit, deficit; alvus antea clauſa nunc invite ſolvitur nimis, madent facies & pectus ſudore frigido: extremorum adeſt frigus. 5. Scirrho demum, nempe tumore irreſolubili, qui metum perpetuum cancri futuri incutit, ſi inflammatio glanduloſas occupat partes; motusque humorum adeo debilis, ut nec reſolutio, nec ſuppuratio, neque gangraena ſequi poſſit.

§. 6. Inflammatione laborantibus conducit aer purus, ſubfrigidus humidusculus ſaepe renovatus, cibi tenuiſſimi ex oryza, avena pomis coctis, prunis damaſcenis, potus acidiuſculus. Nimio acidi enim hic vitandi, quia ſtricturas vaſorum & humorum inſpiſſationes augent. Inde & vinum vitandum, ſtimulum enim majorem inducit. Potus frigidi hic quoque haud concedendi. Lactis ſerum, hydrogala, & Ptiſana hordeacea tepide epota, optima cenſentur, animi pathemata vitentur quam maxime. Somnus vero invitetur papaverinis, non autem narcoticis dolorem leniendo.

§. 7. Inter remedia adverſus inflammationem primas obtinet venae ſectio primo in parte inflammationi vicina, dein in parte remotiori. Haec optime inſtituitur primis morbi diebus, tamen & toto morbi decurſu, urgente neceſſitate ſc. ubi dolor acutus, anxietas ſumma, pulſus durus & vires conſtantes celebranda aut repetenda. Terminus enim inflammationis non eſt, uti vulgo acceptum, tertio vel quarto die: ſed & longe ſerius benigne reſolvitur, aut critice evacuatur, nec quidem inflammatione ad ſuppurationem vergente ceſſat indicatio ſanguinis mittendi in plethoricis valde & febri vehementiſſima. Noxia vero eſt ſanguinis miſſio, dum reſolutionem tentat Natura, minuitur enim inde febris ad hoc negotium neceſſaria, neque adeo tuta eſt in inflammatione Metaſtatica, quae potius ad ſuppurationem ducencenda, vel ad externa veſicantibus applicatis attrahenda. In junioribus robuſtis prophylactica ſaepe inſtituatur V. S. ad inflammationem praecavendam. Arteriotomia, ſcarificationes topicae & hirudinum applicatio in ſpeciali inflammationum tractatione proponentur, uti & veſicatoria, fonticuli, ſetaceaque cum repellentibus & adſtringentibus.

§. 8. Alvus dein leniter movenda, catharticis antiphlogiſticis No. 1. Clyſmata mollia. 2. alternis diebus injicienda, quae SYDENHAMO vicariis fungebantur vicibus, ſanguinis miſſionis repetitae, tum et nitroſa ſaponacea medicamenta cum

cum camphora. 3. & emulſiones refrigerantes. 4. exhibenda.

Cap. II.
DE PHRENITIDE.

§. 9.

Phrenitis eſt inflammatio cerebri vel potius ejus Meningum, delirio feroci perpetuo, febrique acutiſſima pulſuque duro comite ſe manifeſtans, eſt ergo idiopathica, quae quidem rariſſima in frigidioribus climatibus, vel et ſympathica, frequentiſſime in febribus malignis exanthematicis, variolis morbillisve occurens.

§. 10. Signa alia in phrenitide obvia ſunt vigilia, ſubinde vero et ſomnus profundus, facies rubra, protervia ſeu ferocitas, capitis dolor internus ingens, ad minimum ſtrepitum facile auctus, oculi protuberantes, narium ſtillicidium.

§. 11. Diſponunt ad cerebri inflammationem adoleſcentia et aetas virilis, conſuetae haemorrhagiae ſuppreſſae, meditationes profundae, lucubrationes continuae, animi affectus vehementiores, calidorum uſus, ſeu abuſus.

§. 12. In actum ducunt ebrietas, vis violenta capiti illata, inſolatio ſeu capitis nudi ad ſolis

radios dormiendo praecipue expoſitio. Inde Meſſoribus & aliis, qui aeſtuante ſole iter facere coguntur, pileum album vel chartam albam, aut et pannum album, intus pileo nigro aſſutum, commendat Tissot, quo minus caput incaleſcere a radiis ſolaribus compertum eſt.

§. 13. Phrenitis aliquando terminatur in ſalutem, narium haemorrhagia larga ſponte oborta, vel arte, Natura monſtrante viam, narium ſc. ſcarificatione promota, haemorrhoidum vel et lochiorum fluxu reſtituto, alvique fluore ante ſeptimum diem nempe excitato, reſolutio hic vix obtinetur. Saepiſſime autem inter tertium & ſeptimum diem necat, vel tardius ſuppurato vel ſphacelato cerebro, uti ex cadaverum inſpectione patuit. Saepe deſinit in maniam, tota vita incurabilem, qualem vidi aliquoties ex phrenitide in puerperis ſequentem. Amauroſin ſequelam phrenitidis annotarunt alii.

§. 14. Mortem futuram praedicimus ex vomitu aeruginoſo, ſputatione indecora in adſtantes, convulſionibus, floccorumque collectione, oculis pulverulentis, dentium ſtridore, alvo pertinaciter clauſa, uti et iſchuria, vel urina limpida nimis, ſymptomatum mutatione aſſidua, ulcerisque habitualis detumeſcentia & exſiccatione, riſu ſardonico, pulſuque debili vacillante tremulo.

§. 15.

§. 15. Cura autem initio ſtatim tentanda, per venae ſectionem largam repetitamque, ratione imminutionis vel perſeverantiae ſymptomatum moderandam in brachio aut in talo. Ex iugulo ſanguinem mittere, uti placet Pringle, Frendio multisque, commendat Tralles, non adeo facile eſt, uti creditur in phreniticis. Idem ſentiendum de arteriotomia in temporibus. Hirudinum applicationem laudant alii & quidem ad anum, ubi propenſio ad haemorrhoides: uti et cucurbitas ad Nucham & ſcapulas cum ſcarificatione.

§. 16. Capiti prius raſo adhibenda fomenta, ſeu epithemata ex aqua frigida, cum aceto roſaceo ſaepius renovanda. Glaciem tuſam applicant Angli & nivem inter Lintea. Interim pediluvia inſtituantur tepida, vel et pedes involvantur cum linteis oxycrato calido madidis. Semicupium frigidum quid hic valeat, non auſim dicere, nec non veſicans capiti raſo adhibitum. Cum nequidem ſanis unquam adhibuerim, niſi ubi pulſus debilis valde & quidem in ſymptomatica potius quam idiopathica phrenitide. Epispaſticis ſaepiſſime uſus ſum, monente van Swieten, utpote orgasmum humorum minori ſtimulo non incitantia.

§. 17. Caeterum diaeta, medicamenta eadem ac commendata capite praecedente de inflammatione in genere, quibus adde, quod conducat, ut aeger corpore erecto teneatur in lecto, ne caput

gravetur humorum congeſtione ex decubitu horizontali.

Cap. III.
DE OPHTHALMIA.

§. 18.

Ophthalmia eſt inflammatio tunicarum, oculum conſtituentium, quae dignoſcitur ex adnatae ſumma rubedine, dolore quaſi ex acu aut ſpina pungente; lucis intolerantia, febrisque abſentia, plerumque ſi levior, neque raro ex febri valida, ſi retinam & uveam ſimul occupat, quando etiam ophthalmico videntur oculis ſuis obverſari muſcae in aere volitantes.

§. 19. Eſt autem externa Táraxis dicta, vel interna, tum et externa & interna ſimul; chemoſis vocata, haec ſemper illa gravior. Ratione cauſae proximae eſt vel ſanguinea, vel ſeroſa lippitudo, haec chronica, illa acuta potius. De priori hoc, de poſteriori alio agetur Faſciculo.

§. 20. Cauſae occaſionales variae quidem conſtituuntur; frigida & humida aeris conſtitutio, aër procelloſus, oculos praecipue afficiens, ſolis ardor & ſplendor, unde aliquando epidemica. In Aegypto & Indiis orientalibus endemica & contagioſa, per ſympathiam communicata annotatur.

§. 21.

§. 21. Levior & externa fere excitatur ophthalmia, ex pulvifculo, aut fimili oculis illapfo, fumis metallicis, morficantibus, ciliorum incurvatione verfus oculi bulbum directorum, adnatamque irritantium; excrementis putridum exhalantibus, unde foricariis familiaris, tefte RAMAZINI, nivis ignifve continuo adfpectu.

§. 22. Datur et praeterea ophthalmia, poft morbillos variolasque a fcabie tineaque retropulfis aut male curatis; ulceribus antiquis exficcatis, gonorrhoea repulfa, evacuationibus fanguineis quibuscunque confuetis fuppreffis vel retentis, miafmate venereo, fcrophulofo, nec non a vi externa ictuve illato, uti et ab operatione aut Cataractae depreffione.

§. 23. Ad ophthalmiam prae caeteris difponi perlubent oculis prominentibus gaudentes, tum ftudiis acrioribus, lucubrationibus nocturnis dediti nimis. Nam oculus finifter potius ophthalmia afficitur, difficiliusve curatur quam dexter, uti aiunt, affirmare non aufim.

§. 24. Ophthalmiam curaturus prae primis inftituat regimen; videlicet a luce vividiore aeger arcendus, viridi velo aut et vitro viridiffimo plano defendantur oculi, in victu vitentur carnium efus, aromatica, falina & potus fpirituofi aut vinofi; fermo quoque, fumus tabaci, vigilia, vomitus damnantur. Curati lectionem nocturnam cane & angue pejus fugiant.

§. 25.

§. 25. Cura vero aggredienda V. S. larga, repetita aliquoties, idque nulla fere habita ratione aetatis audacter ad plurimas vices, ut resolutio consequatur. Caeteri enim omnes inflammationis exitus hic quam maxime damnandi, oculos enim vario modo perdunt & visum destruunt. Instituitur ergo in brachio, jugulo talove. Arteriotomia temporalis a quibusdam praefertur, hirudinum applicatio laudatur ab his, culpatur ab illis.

§. 26. Fortiora dein cathartica mercurialia, praesertim si febris abest frequenter usurpanda, vel et leniora aut clysmata in humorum motu majori, quae revellendo juvant. Vesicantia vero, quae ad Nucham aut pone aures adhibentur, ut derivando operentur, ab HOFFMANNO haud probantur, utpote dolorem saepe augentia. Cantharides oculis inimicas declarat etiam BOERHAVIUS de morbis oculorum agens Ut ut sit ad frontem cum fructu aliquando applicui praemonente PERCIVAL. Ad suras applicant alii. In genere commendant omnes, ut diu aperta serventur. Nunquam vero ante peractas evacuationes necessarias in usum vocanda, pediluvia non omittenda.

§. 27. Ad topica seu collyria quod attinet, semper in initio noxia & forsan in leviori ophthalmia, aqua frigida tantum in initio leniter repellendo valet, vel et in summo dolore vapor aquae calidae, aut fomentum ex lacte tepido:

vel

vel et cataplasma emolliens ex pomo cocto, v. c. vel et mucilago ex solutione gummi Arabici aut radicis altheae in aqua calida. In ophthalmia chronica praecipue valent collyria, 7. quae roborando conducunt.

§. 28. Caeterum setacea, fonticuli, cauteria, auricularum perforationes in refractaria, tentanda veniunt. Sialagoga mercurialia, in venerea. Cortex peruvianus, Aquae Seidlicenses, Millepedes cum mercurio in scrophulosa. Gonorrhoea iterum arte, uti et aliae evacuationes denuo excitandae, si a causa tali. Cilia extirpanda horumque bulbi, lapide infernali destruendi, si ab horum incurvatione.

Cap. IV.
DE ANGINA.

§. 29.

Angina mihi audit difficilis deglutitio, vel respiratio vel et utraque simul ab inflammatione organorum, utrique actioni inservientium. Tumor conspicuus admodum ruber apparet inspicienti, febris adest acuta cum cephalalgia & pulsu duro, urina emittitur rubra. Si vero causa morbi arterias serosas, non sanguineas occupat, pituitosa aquosave, alba, catarrhalis, spuria dicitur Angina & tumore pallido rubello, febrique

que non adeo intenſa detegitur, deque hac, uti de caeteris paragrapho ſequenti indicatis alibi peculiariter.

§. 30. Datur et praeterea Angina convulſiva, ſpasmodica paralytica ſine ullo tumore apparente metaſtatica peſſima quidem. Suppuratoria, gangraenoſa, ſcirrhoſa tanquam inflammatoriae conſectaria: nec non ulceroſa luis celſicae ſubinde ſoboles.

§. 31. Haec ultima quam maxime diſtinguenda ab ulceroſa maligna Suecis, Anglis & Danis aliquando epidemica, et ab Anglis & praecipue a FOTHERGILL optime deſcripta. In hac autem praeter inflammationem fauces ulceribus ſanioſis ſerpentibus obſidentur, pulſus eſt tremulus parvus, eique ut plurimum concomitatur eruptio ſcarlatinoſa, unde de hac plura habentur primo faſciculo, capite de ſcarlatina.

§. 32. De vario Anginae nomine ab antiquis tradito pro varietate partis affectae, nihil quod moras & taedia legenti nectem, cum raro una pars afficiatur, quin ſtatim altera trahatur, neque curationis ratio multum differat.

§, 33. Favent producendo morbo noctes humidae frigidaeque dies, calidos inſequentes, corporis refrigeratio ſubitanea, ventorum afflatus, equitatio adverſus ventum frigidum, conclavia calce recenter inducta, acria ingeſta & venena ap-

applicata, anxia nimis cervicis ſudariolis obvolutio, uti et colli nimia conſtrictio. Cantus vocis diutina exercitatio, tubarumque inflatio prodromus quoque eſt eruptionis ſcarlatinoſae & morbilloſae. Semel anginoſum ſaepius eodem morbo corripi, compertum habeo, unde prophylactice talibus commendo, ut noctu maxime collum arceant a frigore; caeterum vere praecipue & ſanguineos prae caeteris infeſtare ſolet.

§. 34. In morbo valde perículoſo ſaepiſſime ſtrangulando Lethali, mox vena ſecanda in brachio ad animi deliquium fere vel et ſaepius incidenda, donec ſymptomata inflammatoria & ſuffocationis periculum, multum mitigentur. Vena jugularis non ſtatim, ſed aliis prius inſtitutis evacuationibus, aperienda ſuadente Tralles. Idem cenſendum de raninarum inciſione a Celso jam commendata, hirudinum applicatio ad fauces uti & cucurbitarum cum ſcarificatione ad Nucham & ſcapulas non contemnenda. In Angina ulceroſa maligna cautius cum venae ſectionibus mercandum in pituitoſa vel alba non requiritur tanta ſanguinis miſſio.

§. 35. Cum et praeterea Angina aliquando ſponte, haemorrhagia, ſudoribus, alvique fluxu praeſertim copioſo ſolvatur, & laxantibus & clyſmatibus No. 8. Diarrhoea fere excitanda continua, quae prae caeteris in angina catarrhali commendantur. In maligna emeticum morbo incipiente

te commendat PERCIVAL. Diarrhoea hic non adeo laudabilis; alvus vero adſtricta damnabilis.

§. 36. Faucium obturatio ſaepe adeo pertinax, ut potulenta per nares regurgitent, ita et vel fame perire poſſet aeger in longiori morbo, praeſertim in ſuppuratoria, ſcirrhoſa ſc. Angina. Vide olim deglutitionem omnino impoſſibilem per 22 dies. Servabatur tamen aeger clyſmatum nutrientium ope, ter de die injectorum, ex lacte, juribusque pullorum, modica quantitate, ut commodius retinerentur. Inteſtina vero prius per clyſma purgans 8 ab excrementis ſemel ſingulis diebus eluebantur.

§. 37. Humorum orgasmo utcunque per ſanguinis miſſiones ſe dato, veſicans ad Nucham ob ſuffocationis periculum: tum et pannus inimento volatili 9 imbutus jugulo adhibenda; in angina maligna ulceroſa emplaſtrum de meliloto cum quarta parte veſicantis ad nucham, cataplasmata antiſeptica 10. vel et pannus mixtura ex aceto & ſpiritu vini camphorato madidus collo applicandus. Pediluvia ex aceto aquae mixto, cui cortex peruvianus, flores chamomillae incocta bis de die ſaltem uſurpanda, vel pannis talibus imbutis pedes involvendi.

§. 38. In omni angina inflammatoria ſcilicet vel et Maligna ſummi uſus habentur vapores tepidi ex aceto aquae mixto. Gargarisma No. 11. laudat PRINGLE, ſed injectiones per parvum Sypho-

phonem, merito gargarisationi praeferendae. Quae iterum melius instituitur, dum inflammatio ad suppurationem vergit, quando quoque cataplasmate emolliente 12. collum obvolvendum. Locus suppuratus citissime lanceola pertundendus, ut pus exeat, faucesque a tumore liberentur. In metu strangulationis Bronchotomiam laudant, rarissime si unquam institutam. In angina ulcerosa, gargarisma 13 commendat HOME.

§. 39. Medicamenta sint nitrosa, salina, leviter camphorata, uti in caeteris inflammationibus. Gummi guaiacum, post debitas evacuationes exhibitum, instar specificum commendat HOME. Nondum habui ansam tentandi. In putrida maligna vero haec noxia, substituantur horum loco decocta antiseptica 14.

CAP. V.
DE PERIPNEVMONIA.

§. 40.

Si dolor gravativus occupat medium praecipue pectus cum difficili respiratione, non nisi decubitu in dorsum peragenda, tussi molesta sicca, febrique aucta pulsuque duro in initio saltem, lingua arida ex flavo rubra, demum nigra, ideam dat Peripneumoniae verae, seu inflammationis pulmonum ex sanguine vasa infarciente.

 §. 41.

§. 41. Peripneumonia notha materiem magis pituitoſam agnoſcit, habitiores inde ac craſſos aggreditur, nec non ſenes & praecipue hyeme, aere humido frigidiuſculo infeſtat.

§. 42. Datur et praeterea peripneumonia magis epidemica, putridablioſa; cuius ſymptomata, nauſea, ſputa bilioſa, oris amaror, pulſus parvus, debilis non ita durus, putredinem humorum corruptionemque potius, quam ſtaſin phlogiſticam indicantia.

§. 43. In genere morbum producere valent, aeris humiditas, ſiccitas, calor, frigus excedens, exhalationes cauſticae acres, venena ſive ingeſta, ſive applicata, ſpirituoſorum abuſus, pulmonum nimia defatigatio curſu, cantu, aliove quocunque modo, equitatio fortis, inceſſus calopodiis ſupra glaciem adverſus ventum. Ex animi motibus praecipue ira; angina & aliae inflammationes, quas ſaepe ſequitur, uti et morbillos ſaepiſſime; in praediſpoſitis praeſertim, quales ſunt robuſti, rigidi, ſanguinei, gibberoſi, aliique pectore praediti anguſtiori; uti et ſenes.

§. 44. Morbus, ut caeteri, abire ſolet in ſanitatem, alium morbum, mortem. In ſanitatem ſe, benigna reſolutione, quae quidem rariſſime hic obvenit, coctione & excretione ſputi copioſi flavi, cum ſtriis ſanguineis mixti, craſſi levantisque cito in album mutati. Alvinae bilioſae; urinae

urinae copiosae, crassae cum sedimento ante septimum diem.

§. 45. Si vero morbus ad decimum quartum et ultra extenditur diem, in suppurationem tendit, seu pulmonum abscessum & vomicam, quod dignoscitur ex symptomatum pertinacia, delirio, pulsu undoso & molli post resolutionis & coctionis tempus persistente. Accedunt etiam leves vagaeque horripilationes, genarum rubor, febris hectica, amphimerina vespertino tempore, praecipue exacerbata. Tussis quoque fit pertinacior, siccior, respiratio anhelosa, a cibo vel motu semper aucta. Decubitus in affectum latus tolerabilis vel possibilis tantum. Sudor nocturnus circa jugulum & frontem praesertim, urina spumosa pallida, quae excipiunt vel suffocatio inopinata, vomicae ruptione, vel et puris evacuatione in pectoris cavitatem, vel phthisis chronica & lenta consumptio purulenta.

§. 46. Fiunt et interdum, quamvis raro, abscessus per metastasin ad alias quasvis corporis partes; quorum periculum majus vel minus ex varietate, partis affectae, ex magnitudine vel parvitate apostematis; ex tempore, quo erumpunt, ex levamine, quae afferunt desumendum. Terminatio peripneumoniae in scirrhum semper mala.

§. 47. Fit et cito lethalis gangraena, vel et morte serius terminatur, quam praecedit summa

debilitas, pulſus, parvus inaequalis, intermittens, deficiens; reſpiratio parva ſibiloſa cum ſtrepitu vel roncho erecta; rubor faciei inſolitus; anxietas & pectoris anguſtia ſumma; delirium continuum, corporis frigiditas & inſenſilitas; puris per inferiora ſeceſſus; maculae rubrae fuſcae pectoris, ſternutatio multa; ſputa bilioſa cum pure poſt ſextum diem, cruenta valde, ſtatim ab initio non levantia, coenoſa fuſca amurcoſa, nigra, liveſcentia, vel et ſubito ſuppreſſa.

§. 48. Vt cura autem rite inſtituatur, primo animi & corporis quies inſtituenda in aere tepido ac humido: victus ſit tenuis, potus talis tepidus praeſertim. Nec hic aegrorum deſiderio indulgendum, qui frigidum aerem, ſimilemque potum appetunt.

§. 49. Quantocyus dein venae ſectio larga ſatis inſtituenda, eaque ratione ſymptomatum conſtantia ad tertiam, quartamve vicem repetenda: raro ulteriorem ſanguinis miſſionem fert Peripneumonia. Sunt et circa hanc quoque notanda, quod procedente morbo V. S. non adeo tuta, ac in initio, quamvis interdum et tum neceſſaria, praeſertim ſi vires conſtent, pulſusque magnus. Praeterea Peripneumonia minorem ſanguinis detractionem fert, ſi notha. Inde & haec difficilior curatu, quam vera, caeteris paribus. Tum ſi criſis per excretionem ſputi fit, nocet venae ſectio, ne hoc naturae molimen turbetur.

§. 50.

§. 50. Venae sectionibus necessariis institutis, nec aegri levamine, emplastrum de meliloto cum quarta parte vesicantis, pectori seu lateri affecto apponendum. Saepissime enim unus tantum afficitur pulmonum lobus. Hoc emplastrum vesicanti merito praefertur, quia non adeo stimulat aut dolorem parit. Peripneumonia notha vero liberiorem vesicantium usum requirit.

§. 51. Caeterum alvus libera servanda, clysmate molli alternis diebus injecto, quod quam maxime juvat, si morbus per alvi fluxum abiturus sit. Purgantia in Peripneumonia vera non facile dabis; quae et nocent praecipue, ne expectoratio supprimatur, praesertim ubi hac via morbus sanari vult. in peripneumonia notha, leniora emetica & purgantia multum laudantur.

§. 52. Maximi usus denique in hoc morbo balneum vaporis aquae dulcis ad pulmones. Semicupia & pediluvia, medicamenta nitrosa mellita necessaria; nec non expectorantia 15. & speciatim in peripneumonia notha. De cura in suppurationis statu, praecipue agetur capite de phthisi. Peripneumonia putrida antisepticam potius, quam antiphlogisticam poscit medelam.

CAP. VI.
DE PLEVRITIDE.

§. 53.

Dolor punctorius acutus in alterutro latere, in inspiratione auctus cum febri intensa, pulsuque duro, difficultate respirandi, tussi vel sicca dolorosa admodum vel humida, Pleuritis audit vera.

§. 54. Non est autem, quod credamus pleuram tantum in uno latere inflammari, ex cadaverum enim inspectione constitit et membranam, totum pectus cingentem, mediastinum cum pericardio, pulmonesque cum musculis intercostalibus sive internis, sive externis simul affici interdum.

§. 55. Si vero inflammatio intercostalibus exterioribus tantum inhaeret, spuria dicitur Pleuriritis, mitiorque est morbus, utpote in hac, tussis fere nulla, febris minus acuta, respiratio satis commoda, pulsus non valde tensus, decubitur in latere sano facilior, quam in affecto, dolorque ad attactum exacerbatus.

§. 56. Robustos, exercitatos, juvenes, adultos, sanguineos, viros potius, quam foeminas aggreditur. Accedente praesertim valido corporis exercitio in aere nimis calido, ejusdem excalefactione nimia, spirituosorum abusu; ejusdemque expo-

positione vento vel aeri frigido, maxime vernali vel aestivo tempore: tum et potu gelido corpore aestuante ingesto, uti et animi motu vehementiori.

§. 57. Morbus ingruit cum horrore, febrium intermittentium aemulo, quem excipit calor, sitisque inexplebilis cum caeteris §. 33. si vera, vel 35. si notha, enarratis. Est et praeterea Pleuritis sporadica, epidemica ex putridorum genere, idiopathica, symptomatica vel et a metastasi post alium morbum oriunda.

§. 58. Pleuritis haud secus quam aliae inflammationes benigne resolvitur. Coctione & critica excretione per haemorrhagiam, sc. haemorrhoides, sputa copiosa crassa, cruenta, concomitantibus urinis sedimentosis intra septem dies in sanitatem abit.

§. 59. Neque raro ob morbi vehementiam, aegri temperamentum, medelam neglectam aut male administratam, gangraena lethali tragoediam claudit, quam facile praedices ex omnimoda doloris subito & absque evidenti caussa cessatione, & quidem respiratione liberiori utcunque facta, cum pulsu vacillante & extremis frigidis. Qualem casum vidi olim in theologiae studioso, cum non ante sextum diem me in auxilium vocasset.

§. 60. Ad quatuordecim dies protracta in suppurationem vel empyema transit cum signis §. 45. recensitis, aeque ad phthisim uti peripneumonia

 du-

ducens. Abſceſſus vero, qui ad aures fiunt bonum promittunt. Solet autem poſt pleuritidem ſaepiſſime manere ſanatam, concretio pleurae cum pulmonibus leve utcunque producens incommodum, niſi quod inde, idem homo ſaepius maneat ſimili morbo obnoxius, non ſine vitae periculo demum. Vidi quem ter quaterve Pleuritis affecit, eidem tandem funeſta.

§. 61. Curam vero aggreditur venae ſectione larga, primo in brachio lateris affecti, dein in oppoſito, neque raro in talo inſtituenda, eaque audacter repetenda quocunque morbi tempore, ſi reſpiratio anxia dolorque vehemens. Ex aliis enim ſignis ſc. ex pulſus duritie vel ex ſanguinis cruſta normam deſumere velle pro repetendis ſanguinis miſſionibus fallax eſt. Pulſus enim dupliciter fallere poteſt vel in obeſis, ubi mollior eſt, vel in doloris acerbitate, quae inſpirationem ſaepe impedit, quod et Baglivius annotavit, inde pleuritides dari occultas ſtatuit. Cruſtam inflammatoriam variis de cauſis abeſſe poteſt, praeſertim in primo morbi acceſſu, uti apparet ex alio morbo inflammatorio, variolis nempe, in cujus primo ſtadio ſanguis eductus rutilus absque ullis phlogoſios indiciis eſt.

§. 62. De quantitate quoque ſanguinis emittendi, aut de vicibus ſanguinis miſſionem reiterandis, nihil certo ſtatuere licet, et in ſenibus & in gravidis ad plures vices aliquando inſtitui & pri-

mis

mis diebus & sexto, quo saepius exacerbatur morbus. Neque eventus dedit mihi ansam poenitendi de tanta sanguinis eductione. Caeterum vero notandum in morbo provectiore, vel epidemico putrido, aut ubi adest evacuatio critica cum levamine, venae sectionem aeque nocere, ac in peripneumonia sub talibus conditionibus.

§. 63. Clysma dein molle injiciendum, ut alvus libera, non laxa servetur. Diarrhoea enim non nisi critica in hoc morbo conducit. Ideo et purgantia, quamvis leniora, hic damnantur. Remedia eadem, ac in peripneumonia specifica, equidem nulla hic. Radix senega adeo celebris Anglis saepissime noxia inventa, cum vomitum ciet, in omnibus inflammationibus quam maxime cavendum. Opium a summis viris laudatum, si locum quidem habet ratione doloris sedandi in pleuritide, certe non nisi sedato orgasmo nimio pulsusque duritie imminuta exhibendum puto.

§. 64. Post sufficientem sanguinis detractionem, vesicans lateri dolenti applicatum prodest. Vide inde optimum effectum in expectoratione promovenda saepius, praecipue pulsu existente languido cum anxia respiratione. Ad suras applicata commendat BAGLIVIUS eidem scopo. In alvi fluxu non critico NEIFELD sinapi ex aceto super pectus imponi jussit CELSUS, donec ulcera pustulasque excitet. Fomenta, laxantia ab omnibus fere laudata, suspecta equidem habeo; ad suppurationem

enim ducunt inflammationem & merito praefero iisdem emplaſtrum de meliloto cum camphora.

Cap. VII.
DE PARAPHRENITIDE.

§. 65.

Cum praecedente convenit Paraphrenitis, non uti quibusdam phrenitis ſymptomatica, ſed ut verae diaphragmatis ſive partis carnoſae, ſive tendinoſae, ſive utriusque ſimul inflammatio.

§. 66. Crebrius forſan occurrit quam vulgo creditur, licet raro diaphragma tantum ſed ſimul pleura, mediaſtinum & pericardium ſimul afficiantur. Morbus eſt difficilis curatu, nec cognitu facilis: veram enim phrenitidem adeſſe poſſe, nullo modo, niſi cadaveris obductione detegendam, refert de Haen.

§. 67. Creditur tamen dignoſci poſſe ex febri valde acuta, reſpiratione ſublimi, parva anheloſa, dolore ad praecordia ſeu ſcrobiculum cordis, latera & dorſum in inſpiratione quam maxime aucto; accedentibus demum tuſſi moleſta, nauſea, vomitu, ſingultu, hypochondriorum introrſum retractione, quam pro ſigno pathognomonico agnovit Galenus. Tum ex delirio & riſu ſardonio, quod ſignum abeſſe poſſe, teſtantur authores

res ex cadaverum obductione. Delirium volunt quidam non magis proprium paraphrenitidi, quam pleuritidi esse. Symptomata vero enarrata vel mitiora vel vehementiora sunt, prout pars carnosa vel tendinosa affecta fuerit.

§. 68. Causas agnoscit easdem ac pleuritis, inprimis vero potum gelidum corpore aestuante affatim haustum. Curam poscit eandem. Clysmata emollientia hic crebrius injicienda, sunt enim maximi usus. Vesicantia praecipue ad suras & brachia commendantur si, a metastasi. Resolutio hic vix speranda, lethalis enim ut plurimum ante septimum diem evadit. Aliquando ad suppurationem tendens, empyema si in pectoris, asciten purulentum, si in abdominis cavum pus effunditur, post se trahit.

Cap. VIII.
DE GASTRITIDE.

§. 69.

Gastritidem quoque seu ventriculi inflammationem, frequentissime occurrere, asserit Hofmannus; praesens autem noscitur ex dolore acuto, fixo circa scrobiculum cordis, ad quodvis ingestum sive liquidi, sive solidi, parcissima licet copia, maxime aucto, vomitu dolentissimo statim

ab

ab aſſumptis, ſingultu, ſiti inexplebili, febri acutiſſima, pulſu parvo frequenti duro, inquietudine, vigiliis corporisque continua jactatione, urinae omnimoda ſuppreſſione, qualem vidi per ſeptem integros dies absque ullo tumore aut veſicae dolore.

§. 70. Signa pathognomonica inflammationis ventriculi deeſſe aliquando, certiſſimum eſt. Vomitum defuiſſe in vera gaſtritide, appetitu ſemper vigente, habet DE HAEN, ſine ullo febris indicio, niſi poſt quintum diem contigit mihi videre ſemel.

§. 71. Cauſas agnoſcit varias occaſionales, praeſertim potum gelidum, corpori aeſtuanti ingeſtum, vomitoria atque purgantia draſtica, venena acria arſenicalia, praecipue vel mercurialia; ſpirituoſorum abuſum, uti et alimentorum ſolidorum, accedente potulentorum defectu, metaſtaſin exanthematicam, vel et podagram revulſam, iram vehementem cum vomitu bilioſo, vulnera & laeſiones violentas.

§. 72. Morbus eſt periculoſſimus, plerumque lethalis & ante ſeptimum diem gangraena cum extremorum frigore, ſudore frigido, delirio, convulſionibus terminandus, quam fere inevitabilem expecta, ſi a veneno; citius enim eroſiones inflammatoriae fiunt a tali cauſa, quam de medicina cogitare licet. Reſolutio, rara hic eſt gratia. Neque tamdiu durat, niſi leuiſſima inflammatio, ut in ſuppurationem abeat.

§. 73.

§. 73. Cura pro varietate cauſſarum varia tentanda, Venae ſectio ſumme neceſſaria & ad plurimas vices repetenda, commendabilis tantum primis morbi diebus. Nec tuta admodum, ſi a metaſtaſi. Tum enim potius valent veſicantia, regioni epigaſtricae appoſita, vel ad ſuras, ſi a podagra retroceſſa. Caeterum epithemata ex ſpiritu vini camphorato, abdomini applicata, a quibusdam laudantur.

§. 74. Omnia vel minime irritantia hic nocentiſſima. Quin et camphorata cum nitro adeo efficacia in caeteris inflammationibus, in gaſtritide haud immerito ſuſpecta habentur. Ideo rariſſime, ſi unquam hic emetico locus, quamvis a commota bile, aut a veneno in priori caſu aqua tepida cum oleoſis mixta, largius epota, bene audit, pro ſpasmis compeſcendis nihil melius, quam liquor anodinus mineralis. In poſteriori, ſi notum, ſtatim in uſum vocanda oleum amygdalarum dulcium, olivarum; lac tepidum, decoctum hordei cum butyro & vitello ovorum. Si a ſublimato corroſivo oppugnari alcali No. 16 vult Mackbreid, dein copia ſeri lactis, juſculorum pinguium ex pedibus vitullinis non ſalitorum parvis hauſtibus ingeſtorum acrimonia lenienda. Opiata non niſi cautiſſime exhibenda, minime vero in principio. Clyſmata emollientia optime valent. Excrementa vero alvina inde educta, foetida valde, ſplenden-

dentia, nigra ſoluta de veneno arſenicali & de ventriculo ſphacelato certum praebent criterion.

CAP. IX.
DE ENTERITIDE ET ILEO.

§. 75.

Enteritis ſive inteſtinorum et tenuium & craſſorum inflammatio oritur a quocunque acri ibidem ſtagnante; rodente; condimentorum ſpirituoſorum, aromaticorum uſu immodico, ſcybalis durioribus, alienis durioribus deglutitis; vermibus; praematura diarrhoea criticae aut dyſenteriae ſuppreſſione; motibus corporis vehementioribus, ſaltibus; ponderum elevatione, iracundia graviori & colica bilioſa, docente SYDENHAMO. Hernia ſaepius in cauſſa eſt enteritidis mitioris, nec adeo periculoſae. Quin et medicamenta ex draſticorum genere. Memini me ſanaſſe inflammationem inteſtinorum in virgine, quae originem debebat tincturae catharticae ſic dictae officinali ſeu eſſentiae jalappae.

§. 76. In hoc morbo praecipue incuſantur motus periſtaltici inverſio, ſpaſmodica inteſtinorum conſtrictio, uti & eorundem introſuſceptio: indeque ileus, et perperam volvulus audit.

§. 77.

§. 77. Intolerabilis dolor, quem cum ejulatu exprimunt aegri, medium occupat abdominis, sive regionem umbilicalem: alvus pertinacissime clausa manet: vomitus adest perpetuus omnium ingestorum; febris acutissima cum pulsu duro, celeri parvoque potius, quam pleno: singultusque. Urina emittitur pauca ruberrima. Inflammationem aliquando latere posse signis pathognomonicis deficientibus post SIMSON, habent PRINGLE, MORGAGNI & alii.

§. 78. Resolvitur aliquando inflammatio, & natura, quamvis rarissime, sanata refertur. In abscessum tendit intra 14. dies, insequente dysenteria purulenta ancipitis eventus. Plerumque vero lethalis brevi admodum evadit, gangraena praecedente, quae dignoscenda ex alvo ante pertinaciter clausa, iam subito soluta, nigra, foetida, invito dejecta cum doloris repentina abolitione & extremorum frigore, ex crepitibus foetentibus admodum emissis; ex clysterum per os ejectione; ex vomitu stercoreo, quem tamen non semper lethalem referunt authores. Ileum cum vomitu stercoreo trienii spatio bis vidit DE HAEN sanatum. Tertia vice demum funestum.

§. 79. Cura aggredienda venae sectione, in brachio largiter instituenda, eaque pro renata & virium constantia & symptomatum perseverantia repetenda. Dein vomitus quantocius antemetico Riveriano No. 17 sistendus. Tum clysmata mollia,

lia, oleosa N. 18 saepius injicienda. Oleo volatili No. 9 totum inungendum abdomen. Catulum viventem nudo ventri semper accumbere jubebat SYDENHAMUS. Semicupia, si fert aegri conditio, tepida non ommittenda: per semihoram & ultra insedere licet.

§. 80. Mitigato utcunque per venae sectiones necessarias, statu inflammatorio & humorum orgasmo, vesicans latum, abdomini imponendum, monente PRINGLE. Tum etiam alvi solutio tentanda per aquam laxativam, cochleatim exhibitam, vel per remedium No. 19. Sunt autem, qui praecipiunt anodyna, prudenter laxantibus miscenda, ut certius retineantur: fere enim semper in hoc morbo, cathartica emetica evadunt. Alii vero cum TRALLESIO alternatim et opiata & purgantia exhibent, sic tutius consequi utriusque effectum compertum habent: dum per opium spasmis sedatis alvus saepe feciliter solvatur.

§. 81. Dantur et alia remedia in ileo, temerario quidem ausu & non nisi in casu desperato, ubi anceps melius est experiri, quam nullum, in usum vocanda talia sunt clysmata acria ex fumo tabaci, vel ejus foliorum decoctione; ex aqua frigida acetove tali; immo ex solutione tartari emetici laeto cum successu. Per aquam frigidam epotam, pediluvia frigida, immo et fomenta similia abdomini applicata, tentaverunt quidam alvum solvere, nec poenitendo eventu. Ventre nive

ve obvoluto, gelidaque epota, morbum ileum curatum refert DE HAEN. Eundem vero ab hac eademque cauſſa, ſubito in gangraenam & mortem converſum.

§. 82. Quin et medicamenta metallica, argentum vivum ad ℔ ſemiſſem cum brodio pingui, ſuperinſtituta leni deambulatione, eidem ſcopo commendant aliqui, & quamvis raro quid inde boni ſperandum videatur, ſi inflammatio vera, aut inteſtini adeſt introſusceptio, alvum tamen inde feliciter aliquando ſolutam, teſtantur quaedam exempla. Immo & quod mirandum, emetico propinato curatus habetur ileus, in *commentariis ſocietatis Regiae ſcientiarum Gottingenſis.*

CAP. X.
DE HEPATITIDE.

§. 83.

Hepatitidem ſeu hepatis inflammationem idiopathicam raro occurrere, communis eſt medicorum opinio. Attamen attendenti ad abceſſus, vomicas purulentas, tumores ſcirrhoſos in cadaverum jourioribus ſaepiſſime conſpicuos, cognitionis difficilem, non vero adeo raram eſſe, diuque ferri poſſe, antequam necat, patebit.

§. 84. Dignoſcitur autem ex dolore obſcuro tenſivo, & gravativo hypochondrii dextri, ad coſtas ſpurias, immo ad jugulum ſaepe aſcendente & ad attactum aucto: cum febri acuta, minus intenſa tamen, quam in aliis inflammationibus, pulſu duro celerique; tuſſicula ſicca difficultateque reſpirandi praecipue, ſi pars hepatis gibboſa inflammata, tunc enim omnia pejora. Lingua praeterea eſt ſqualida & arida, ſitis adeſt magna, nauſea, vomitus bilioſus, neque raro ſingultus. Cutis color flavus apparet, alvus manet conſtipata; aperta vero excrementa dejicit albidiora, urina rubra flammea & crocea ſaepius emittitur. Decubitus in latere affecto moleſtus, nec tolerabilior ſemper in oppoſito, ſupini inde jacere amant aegri.

§. 85. Diſponunt prae caeteris ad hepatitidem, obeſitas omenti ingens, ſeu olei copia eo contenti, malum hypochondriacum, materia aeris quaecunque prope hepar ſtabulans, vermes, veſiculae felleae calculi, bilis copia: metaſtaſis, febris ardens, vomitus validi continui, animi motus vehementiores; haemorrhoidum ſuppreſſio vel retentio; diaeta quotidiana craſſa nimis & viſcida; frigida imprudenter hepatis regioni applicata, tandem et violentia externa.

§. 86. Natura non raro intra ſeptem dies ſanatur, per evacuationem ſcilicet criticam, alvi fluxum nempe ſubcruentum, bilioſum; narium hae-

haemorrhagiam, dextrae quidem, uti multi perhibent, num ex hypotheſi, num vero ex experientia, non eſt, quod dicam. Per haemorrhoidum fluxum, lotium ſedimentoſum copioſum, ſudoremque largum, ſanatam hepatis inflammationem, certiſſimum eſt. Raro eſt adeo violenta, ut gangraena terminetur, ſaepiſſime autem abceſſus format, aut indurationes ſcirrhoſas poſt ſe trahit, de quibus alibi.

§. 87. Arte autem per ſanguinis detractionem non adeo largam, ac alibi, ſemel tamen aut bis repetendam, ſi opus. Clysmata mollia, ſaepius injecta; laxantia ſalina No. 20. lenesque frictiones lateris affecti. Veſicantia eidem applicata; copiamque liquidi refrigerantis, ſeri lactis tamarindati ſc. & decocti aperientis, No. 21. ingeſtam affatim. Mercurialibus apud Indos curant.

Cap. XI.
DE SPLENITIDE AUT LIENITIDE.

§. 88.

Cum hepatitide convenit omnino ſplenitis ſeu lienis inflammatio, ſive diagnoſin, ſive prognoſin, ſive medelam demum ſpectes. Cum quae dicta habentur de dextro hypochondrio facile absque ulla repetitione ad ſiniſtrum applicare poſ-

poſſumus. Rariſſime valde lienem inflammari, uno declarant ore omnes medici.

§. 89. Praeter ſigna generalia inflammationis, inter ſpecialia & parti affectae propria, ſanguinis ſtillatio ex nare ſiniſtra ponitur a NIEFELDIO. Confundi poſſe cum affectu pleuritico, nec multo damno, cum medelam requirit eandem, habet VAN SWIETEN. Vomitus vero niger criticus in hepatitide metuendus, in ſplenitide haud contemnendus creditur.

§. 90. Pancreas demum, omentum, meſenteriumque aliquando inflammatione affici referunt. Verum enim vero affectus ſunt nimis occulti, difficillimaeque ſaltem cognitionis, nec quidem multum intereſt, dum ex ſignis generalioribus, omni cognitae inflammationi una eademque medendi methodus.

CAP. XII.
DE NEPHRITIDE ET CYSTITIDE.

§. 91.

Nephritis ſeu renum inflammatio vera, idiopathica, omnino diſtinguenda a nephritide ſpuria & calculoſa. De illa hoc, de hac autem alio agetur capite.

§. 92.

§. 92. Signa autem nephritidis ſunt, dolor primo obtuſus, dein pulſans & acutus a lumbis ad teſticulos utrosque, vel unum tantum, prout unus vel alter ren inflammatione afficitur, deſcendens, per totumque abdomen diffuſus; alvus nunc laxa, nunc adſtricta nimis; crurum ſtupor, mictus difficilis, urina pauca rubicunda & in ſummo malo aquoſa, quo praecipue vera a calculoſa diſtinguenda nephritis, in hac enim ſtatim pallida, demum craſſa mingitur urina, ructus aſſiduus vomitusque bilioſus, retractio teſticuli, quam tamen in calculoſa potius, quam in inflammatoria, obſervari vult VAN SWIETEN; decubitus magis incommodus in dorſum & in ſanum, quam in latus affectum, febrisque acuta cum pulſu ſubduro.

§. 93. Nephritis excitari poteſt ex calculoſa & nephritica diſpoſitione, venere nimis culta, concuſſione in rheda, equitatione, ſpaſmodica vaſorum renalium conſtrictione; aphrodiſiacorum, diureticorum fortiorum, vini rhenani abuſu, incautoque cantharidum ſive externo ſive interno uſu, metaſtaſi arthritica ſcabioſaque.

§. 94. Cito ſatio intra ſeptem dies & in ſenibus praeſertim gangraena necat; reſolutio rara hic. Suppuratio vero ſaepiſſime occurrit, quodſi pus per urinas evacuatur, ſpes ſanitatis affulget: lotii talis profluvium cum pure per multos vidi menſes aegro demum optime valente. Coctione

ſaepe & evacuatione ſc. urinae craſſae copioſae, haemorrhoidum fluxus critici quoque ſolvitur.

§. 95. Nephritidem curaturus venam aperiri jubeat in brachio vel pede ad renem affectum reſpondenti, quod ordinarie ſiniſtrum prae dextro eſſe, ſtatuunt quidam. Dein balnea & ſemicupia inſtituat, laxantia leniora, nitroſaque praeſcribat medicamenta; clyſmata mollia No. 22 injici curet quotidie, utque aeger ſubinde ex lecto ſurgat, corporisque ſitum ſaepe mutet. Ubi haemorrhoidum indicia, ano applicentur hirudines.

§. 96. Cyſtitis etiam ſeu veſicae urinariae inflammatio noſcitur ex dolore acutiſſimo tenſivo in regione hypogaſtrica, diſſuria vel et iſchuria totali, cum teneſmo perpetuo, febri acuta &c. Cauſas agnoſcit praeter generales, calculos acutos pungentes, cantharidum uſum internum, catheteriſmum repetitum, haemorrhoidum ſuppreſſionem, nec non gonorrhoeam adſtringentibus intempeſtive ſedatam.

§. 97. Praeter generalia in omni inflammatione adhibenda, peculiariter hic commendantur vapores ex ſella perforata excipiendi. Linimenta No. 23 pro pube & perineo mungendis; cave autem quam maxime & in nephritide & in cyſtitide a diureticis, fortioribus ſaltem.

Cap.

CAP. XIII.
DE METRITIDE.

§. 98.

Si uterus cum appendicibus suis vagina, sc. ovariis & tubis Fallopianis vera afficitur phlegmone, metritis dicitur. Talis morbi praesentiam indicant matricis dolor, ad inguina, crura, immo ad diaphragma & claviculas se extendens pro diuerso inflammationis gradu, partisque affectae varietate, omnemque attactum sive digito in vaginam introducto, sive manu abdomini vel leviter externe imposita renuens.

§. 99. Adsunt praeterea nausea, vomitus, singultus, alvi constipatio cum ischuria; saltem non sine molestia alvus deponitur, urinave emittitur. Meteorismus cum summa totius ventris tensione graviditatem aemulante, lingua sicca, sitis febrisque acuta.

§. 100. Rarissime occurrit extra puerperium ex mensium improvida suppressione. Puerperis vero familiaris satis ex lochiorum retentione, rudi uteri contrectatione, duraque obstetricatione in partu difficili; aliave violentia, lapsu, casu ictuve graviditatis tempore, uteri inversione a partu, grumis sanguinis retentis, frigoreque

imprudenter admiſſo ad pudenda poſt partum. Ex haemorrhagia uteri profuſiſſima refert SAGAR de propria uxore.

§. 101. Mors cum extremorum frigore, delirio, convulſionibus, riſu, cantu, nec non hydrophobia aliquando, certiſſime expectanda. Vix ſperare poſſumus reſolutionem. Suppuratio autem, ſcirrhus indeque perpetuus cancri futuri metus ſaepiſſime ſequantur.

§. 102. Methodus medendi conſiſtit, ut relicta in utero, ſanguinis thrombi leniter eximantur, ut nullae dein ligaturae aut faſciae ventri, injiciantur, aegraque decumbat in dorſum, genubus parum inflexis; generalia etiam, venae ſectio ſcilicet primo in pede, dein in brachio, ex ſymptomatum urgentia, aliquoties reiteranda, clysmata emollientia, laxantia mitiora, emulſiones camphoratae nitroſae in uſum vocentur; nec comtemnatur ventris innunctio linimento ex oleo amygdalarum dulcium cum quarta parte aceti vel ſucci citri a MAURICEAU laudato.

CAP.

CAP. XIV.
DE VENAE SECTIONIS RATIONE IN INFLAMMATIONIBUS.

§. 103.

Quamvis necessaria circa venae sectionis rationem in inflammationibus administrandae, & in genere & in specie, debito jam loco indicata sint, quaedam specialiora magis addere adhuc de indicantibus & contraindicantibus sanguinis missionis, de subjectis quibus, de tempore quando, de quantitate, deque loco, quo sanguis educendus, mihi non incongruum videtur.

§. 104. Indicant autem, seu potius inevitabilem postulant sanguinis detractionem, morbus vehemens, febris valida cum pulsu duro, dolor continuus, maximus, fixus; strangulationis metus, suffocationis periculum, anxietas summa. Ubi talia adsunt signa, ipsa in peste venae sectionem negligere, piaculum esset; praesertim ubi plethora pariter cum virium robore. Sic optime HIPPOCRATES: „in morbis acutis sanguinem „detrahes, si vehemens morbus videatur, floruerítque aegrotantis aetas & virium robur adfuerit.„

§. 105. Contraindicare videntur, cutis mador cum pulsu pleno non duro resolutionis &

coctionis tempore; inflammatio in suppurationem jam vergens, uti et quae a metastasi originem ducit, ne materia noxia intimius sanguinem ingrediatur, sputa subcruenta aut purulenta in peripneumonia vel pleuritide; lochiorum vel mensium fluxus, metritis haemorrhagiam profusiorem pedissequa; demum summa debilitas, fractis nempe viribus a morbo diuturno. Strangulatio in angina, suffocatio in peripneumonia minus ad haec attendi jubent.

§. 106. Verum enim vero omnibus in praxi versatis constare debet, dari debilitatem simulatam cum pulsus quidem oppressione & parvitate maxima, ex inflammationis vehementia in pleuritide prae caeteris. In similibus si sanguinem mittis, pulsumque interim in opposito exploras brachio, senties sensim, elevari fortioremque fieri, intrepide tunc sanguinem effluere sinas ad levamen plenius: quodsi vero sanguine fluente pulsus debilis maneat, scias ejus evacuationem ulteriorem minus adaequatam esse.

§. 107. De subjectis, quibus sanguis detrahendus, notum est, tutius fieri in viris, quam in foeminis, ex hisce iterum potius in non gravidis, quam in gravidis et puerperis; in juvenibus & adultis aptius, quam in infantibus & senibus. Atqui omnia pendent ex morbi vehementia et symptomatum recrudescentia, nec non virium robore proportionato. „Firmus puer, & robustus, „senex,

„ſenex, & gravida mulier valens tuto ſic cura-„tur„ CELSUS omnia enim poſtponenda & quidem contraindicantia 105, ubi una ſalus a venae ſectione ſperanda; nec lochiis aut menſtruis fluentibus, a ſanguinis miſſione abſtinendum, ſi neceſſitas urget. Symptomatum vehementium perſeverantia vel recrudeſcentia hanc evacuationem neceſſariam faciunt in omni aetate, in quacunque conditione; in muliere octavo menſe gravida, gravique pleuritide affecta, quinquies inſtitui bono cum ſucceſſu, partuque dein extra totius foeminarum cohortis expectationem feliciter ſuccedente. In puero quinquennio ſepties trium dierum ſpatio inſtituere curavi, qui & brevi optime convaluit, nulla remanente debilitate, ſive mentem ſive corpus ſpectes.

§. 108. Ad tempus quod attinet, optime quidem mittitur ſanguis primis morbi diebus. Queritur PRINGLE, quod tarde nimis hoc auxilium a quibusdam medicis, junioribus ſaltem, in uſum vocetur; etenim ſanguinem minuere poſt quartum diem, parum quidem valere ad inflammationis reſolutionem procurandam. Obſtat tamen hoc minime, quin ſymptomatibus urgentibus, quovis morbi tempore, quocunque aegritudinis die inſtituatur, ut gangraena ſaltem praecaveatur & benigniorem ſemper ſuppurationem procuremus. GALENUS docuit jam, nullum tempus, nullum diem certum requiri ad venae ſectionem celebrandam.

§. 109.

§. 109. Quantitatem ſatis largam ſanguinis, proportione ſemper ſervata aetatis ratione, detrahi volunt fere omnes medici in inflammatione curanda. Neoterici quidem partitis vicibus brevi intervallo interpoſitis, veteres vero una vice ad animi deliquium usque. Hoc minus tuto fieri, apparet inde, quod plurimi dentur, qui ex profuſiſſima ſanguinis deperditione vix animo linquantur, antequam vitae ſimul deſtruatur; alii iterum ad primum ſanguinis effluxum deficiunt. In talibus autem oportet, ut in dorſum jaceant, ad vitam revocentur inſperſa frigida in faciem, digitus interim venae inciſae imponatur, denique ad ſe reverſo & cubanti proportionata extrahatur quantitas. Ex ſanguinis miſſione ad animi deliquium praeterea, ex pleuritide peripneumoniam naſci poſſe, habet Stretaeus, aſſentiente quoque van Swieten. Conducit ergo, ut prima vice maxima ſanguinis portio unciae duodecim, puta in adultis, educantur, altera unciae decem vel octo, tertia demum adhuc magis minuatur copia, Galeno docente ſicque ſine damno ſenſibili pro re nata ad ſex, octo vel decem vices aliquando ſanguinis eductio repetitur.

§. 110. Minime autem ignorare licet crebras ſanguinis miſſiones multum debilitare, capitis affectus accerſere, totum genus nervoſum afficiendo ad cachexiam & hydropem diſponere, motusque reſolutionis in inflammationibus ſemper optandae infringere prorſus, indeque caute cum

iisdem

iisdem mercandum ſaepiſſime, ſi v. g. haemorrhagiae copioſiores praeceſſerint morbum.

§. III. Demum de loco, quo ſanguis educendus, ſunt, qui venae ſectiones derivatorias, immo et locales prae revulſoriis commendant; ſic in capitis morbis jugularem aperiunt; in angina raninas, in ophthalmia arteriam temporalem. In pectoris affectibus, medianam hanc vel illam, pro varietate lateris affecti; nec non pro chirurgi aegrive commoditate, praeſertim ſi jacenti vena ſecanda. Aliquando uno eodemque tempore ex utrisque brachiis extraxit HUXHAM. In abdominis pathematibus & mulierum morbis ſaphenam aperiri jubent. Monendum tamen, quandam hic requiri cautelam in ſummo plethoricis & revulſoriam derivatoriae praeferendam eſſe, ne congeſtio major fiat circa partem laeſam; ſic in metritide, ſi plethora adeſt, praeſtat v. ſ. primoin brachio, dein in talo celebrare; in phrenitide, angina, derivatoriam non niſi poſt revulſorias rite factas commendo, ad exemplum SWIETENII & TRALLESII. Neque revulſoriae poſt derivatoriam inſtitutam, ſua deneganda laus aliquando. Ex ſaphena ſanguinem educere in peripneumonia plus valere, quam quis credere poſſit, poſt aliquot ſanguinis miſſiones, in brachio factas, cum HUXAMO expertus ſum.

CAP.

Cap. XV.
DE VESICANTIUM USU IN INFLAMMATIONIBUS.

§. 112.

Cum jam ergo de neceſſitate ſanguinis mittendi, tanquam ſi non unici, praecipui ſaltem remedii, in omni morbo conſtet inflammatorio, modo excipere velis, ubi in ſanguine educto, ſigna putredinis, ſcilicet nimiae ſolutionis aut coaguli putridi appareant, breviter etiam agere de alio non minus efficaci & a celeberrimis in arte viris laudato auxilio, topica veſicantis applicatione, operae pretium duco.

§. 113. Non autem meum eſt diſcutere hic, num valent veſicantia phlogiſticum dividendo, aut reſolutioni anſam praebendo; num humores derivando evacuandove; num ſpasmos ſedando vel dolorem morboſum obſcurando vehementiore excitato, nec an cantharides vi ſeptica agunt ſecundum experimentum a Pringle inſtitutum acidaeve ſunt ergo naturae, an demum in ſanguine ſpiſſo & phlogiſtico lateat ſal acidiſſimum aquae regiae haud diſſimile, uti perhibent ex bubone deſtillando medicus extraxiſſe, peſte 1700. Vindobonae graſſante, tuncque alcalica vi operantur: num febris vel doloris indolì repugnare viden-

dentur. Actum jam multoties & a me & ab aliis agere esset. Sufficit autem, me a posteriori didicisse saepius ab usu vesicantium, dolorem inflammatorium mirifice minui, febrimque mitigari, expectorationem suppressam promoveri, strangulationem & suffocationem praepediri. Non negamus tamen contra TRALLES, multos pleuriticos & olim & nunc sanatos absque vesicantibus. Ipse ergo raras habui occasiones ea adhibendi in pleuritico affectu, verum negari etiam non potest, dari et pleuritides aliasque inflammationes, quae sine vesicantibus curari non possunt.

§. 114. Utilitatem vesicantium in morbis inflammatoriis hodie omnes fere agnoscunt. Sunt vero, qui non nisi debitis evacuationibus praemissis, & praeviis sanguinis detractionibus necessariis horum laudant usum. Uti PERCIVAL & WHYTT: „ubi autem post sanguinis evacuationem requisitam, minutus fuit multum febrilis impetus, „nec in urina, aut foecibus alvinis putredinis signa apparent, & tamen dolor manet, vel pulmo oppleri incipit, tunc videtur a vesicatoriis „multum boni expectari posse„ ait VAN SWIETEN; inde raro vel nunquam in morbi principio iisdem usus sum, omnia antiphlogistica prius tentans atque immedicabile vulnus, manentibus vel ingravescentibus symptomatibus, vel & statim ab initio strangulationis periculo in angina, suffocationisve metu in pleuritide vel et peripneumonia praesertimque notha, vesicantibus aggredie-

diebar, „nihil enim, inquit HUXHAM, negligen-„dum in tanto discrimine, ubi quam brevissimo „tempore de vita agitur, et ubi saepissime parum „valde agendum est per remedia ore assumpta.„

§. 115. Citius vero curari inflammationem, materiam morbificam sc. de corpore eliminando, si sine ulla mora, ullave procrastinatione & quidem ante venae sectionem parti dolenti apponatur latum vesicans, asserit C. MEDICUS, quodque etiam docuit PRINGLE, experientia demum convictus, quamvis hic idem junior vesicantia non adhibuerit, nisi ubi prae debilitate, nullus jam dabatur locus ulteriori sanguinis detractioni. Forsan alia medicina in castris, alia in urbe; alia militibus, aliaque civibus conducit. Vesicantia demum non tantum ad partem affectam, sed ad tibias cum BAGLIVIO, TRILLERO & DE HAEN in omnibus inflammationibus & praesertim pectoris proficua deprehendi.

CAP. XVI.
DE SUPPURATIONE.

---

§. 116.

Inflammatio non tam benigna, ut resolvi possit, neque tam vehemens, ut in gangraenam abeat, intra quatuordecim dies praeter propter sanguis sta-

ſtagnans cum finibus vaſorum ſolvitur, mutaturque in materiam albam pinguem, inodoram, aquâ graviorem; haecque actio ſuppuratio, materiaque ita converſa pus vocatur.

§. 117. In longa ſuppuratione ergo magna debet adeſſe ſubſtantiae deperditio. Cum vero practicis omnibus, talem ſubſtantiae deperditionem non ſemper ſuppurationem ſequi, conſtet, tranſſudante materia purulenta in corporis cava absque ulla partium deſtructione, tum ex levi anguſtove ulcere magnam ſaepe effluere puris copiam, nec non generari interdum nulla praevia inflammatione, probabile admodum videtur, ab ipſo ſanguine pus aliquando ſecerni poſſe majore vitae actione, aeque in inflammatione generali atque locali.

§. 118. Circa puris formationem dolor ex acuto fit gravativus, pulſatorius, non raro autem dolor maxime iagraveſcit a nimia membranarum diſtractione. Horripilationes fiunt frequentes in ſuppuratione ſaltem non parva, febrisque ardor utcunque mitigatur & in lentam chronicam demum tranſit. In pleuritide & in peripneumonia difficultas ſpirandi augetur, tuſſis manet inanis, & ſi pus non ſtillat in thoracis cavum, fit empyema vel vomica, de quibus ſtatim ſeorſim, in hepatide tumor percipitur in hypochondrio dextro.

§. 119. Suppuratio, quae poſt reſolutionem caeteris inflammationis exitibus merito praeferenda, non tamen adeo tuta ſemper, in phrenitide enim &

ophthalmia ſemper mala cenſetur; illa enim morbos ſoporoſos, ſatuitatem, haec coecitatem & oculi qualemcunque deſtructionem poſt ſe trahit. Suppuratio ex angina non raro peripneumoniam & phthiſim inducit. A paraphrenitide, & empyema & aſcites purulenta expectare licet, prout pus ſtillaverit vel in pectoris, vel in abdominis, vel in utriusque cavum; in nephritide ren exeditur totus. Ex pure reſorpto alvi fluxus, vomitus purulentus, urinaeque tales excitantur, quae raro admodum perfectam afferunt ſanitatem, ſed lenta tabe corpus conſumendo mortem.

§. 120. Frequentiſſime vero in angina fit, quod pus in tunica celluloſa, collectum; tumorem ſeu abſceſſum, ad exterioravergentem, formet, quo in caſu ut ſuffocationis periculum declinetur, quantocyus conandum gargariſmatibus No. 24. & 25. cataplaſmate No. 26. ut abſceſſus rumpatur, vel chirurgico inſtrumento, ſi non nimis profundus incidatur.

§. 121. Si in pleuritide & in hepatitide, quamvis rarius, abſceſſus ad exteriora tendit, & hoc molimen naturae iisdem adjuvandum, praeter veſicantia, cauſtica, ad locum dolentem admota, & prudentem, quam quidam ſuadent, integumentorum loco dolenti incumbentium inciſionem, dein pure rite evacuato, abſceſſus ut ulcus tractandum, non omiſſis medicamentis, quae vim habent muniendi ſanguinem adverſus damna a pure ſanguini circulanti mixto timenda; qualia ſunt cortex peruvia-

vianus, aquae minerales, & lacticinia, praesertim si febris non nimis urgeat. Tum balsamica No. 27. & diuretica, No. 28. Frictiones mercuriales & salivationem, ope hydrargyrii excitandam, in affectibus hepatis, uti placet LIND. Non habui occasionem experiendi hucusque. Eandem methodum laudat quoque J. CLARK.

§. 122. Ad puris confectionem requiritur certus caloris gradus, mediocritatem non excedens, ideo venae sectio vitanda, si febris moderata, si valida nimis, venae sectione haec eadem moderanda. Nec praeterea suppurationis tempore V. S. omittenda, urgentibus symptomatibus aliis, suffocationis periculo v. g. instante in angina.

§. 123. Diaeta sit ex fructibus horeis bene maturis, sive crudis, sive coctis; ex oleribus, endivia, lactuca, spinachia, acetocella, brasicis rubris, cucumeribus: ex pulmentis farinaceis, amylo, oryza cum lacte. Si febris mitis, concedi possunt juscula ex pedibus vitulinis, succo citri acidulata, gallinae assae, pisciculique minores fluviatiles. Pro potu detur aqua selterana cum lacte, hydrogala, serum lactis cum acido paratum; tisana avenacea hordeaceave cum pauco vini rhenani. Alvus quotidie laxa servanda.

Cap. XVII.
DE EMPYEMATE.

§. 124.

Empyematis nomine intelligunt hodie puris collectionem in thoracis cavo inter pulmones & pleuram, hoc praecedit vomica seu abscessus, clausus ab inflammatione thoracis partium, praesertimque pleurae relictus, jam vero ruptus.

§. 125. Inflammationem autem harum partium nec resolutam, nec coctione & evacuatione critica perfecte sanatam sequi praecipue solet cum horripilatione, caloreque fugitivo, noctu increscentibus, gravitate doloris loco, spirandique difficultate majori, & tussi sicca. Vulnera thoracis interdum sequens mitius est, sanabileque saepe arte chirurgica, caeterum periculosum valde est malum.

§. 126. Rumpitur circa vigesimum, vel quadragesimum, immo et sexagesimum diem, monente Hippocrate. Quando levamen percipitur fallax, dum partes minus premi videntur, sed brevi pure pectus opplente, et febris et tussis iterum insurgunt, decumbere in dolens potius, quam in sanum latus, etiam in lecto, situ erecto sedere amant aegri, decubitus supinus iis quoque placet. De ponderis sensu queruntur ad diaphragma, sudoribus nocturnis. Corpus emaciatur,

tur, consumitur; purulenta, coenosa, amurcosa excreantur; demum excreatione suppressa, accedenteque alvi fluxu colliquativo, placida obrepit mors.

§. 127. Omni opera annitendum, ut vomica rumpatur, tussi excitata, clara lectione, sternutamentis, immo et vomitoriis, uti antiquioribus placebat, vectione in curru rhedave super strata lapidea; atqui praemonendum, instare suffocationis periculum a subita vomicae ruptura, dum pus in tracheam effunditur. Si vero per os sensim, aut per urinas, vel per alvum natura tentaverit puris evacuationem, eadem Bechicis, diureticis, balsamicis & laxantibus adjuvanda. De pure autem per paracenthesin educendo, in empyemate a causa interna vix cogitatur hodie, cum nimis sero, aegroque fere jam ad incitas redacto instituta, mortem accelerare creditur.

Cap. XVIII.
DE VOMICA PULMONALI.

§. 128.

Pus tunica obvolutum vomica audit; tales igitur abscessus clausi fiunt ubique, praevia ut plurimum scilicet inflammatione, in cerebro, hepate, liene, intestinis &c. in pulmoneque. De quo hic praecipue agitur, tanquam Peripneumoniae non resolutae aut expurgatae consectario.

§. 129.

§. 129. Neque hic loquimur de tuberculis illis clandeſtinis parvis, quibus diu ſaepe vivitur, absque incommodo ſenſibili; neque de iis, quae ita clanculum ſubinde erodunt pulmones absque ullo ſigno, in vivis apparente.

§. 130. Vomica autem vel exſiccatur, quod optimum, vel ſubito rumpitur cum ſuffocationis inſtantis periculo, vel lente & tarde cum perfecta ſanatione, pure omnino per anacatharſin evacuato, aut cum phthiſi inſequente, vel demum, nunquam aperitur vomica ob nimiam puris ſpiſſitudinem, vel et tunicae obvolventis craſſitiem.

131. De ſignis diagnoſticis, de abſceſſu maturando, ruptioneque adjuvanda, tuſſi excitata vaporis aceti calentis ad pulmones delati, aliorumque ope, cautelaque hic neceſſaria eadem valent, ac de empyemate dictum; quae vero de expectorantibus addenda ad ulcus mundificandum, ex capite de tuſſi & phthiſi petenda. Obiter vero monendum, commendari a Percival, rupto abſceſſu, aerem fixum ex mixtione cretae albae & aceti eductum effervescentiae tempore, infundibuli ope ore attractum, tanquam optimum palliativum.

Cap. XIX.
DE TUSSI.

§. 132.

De phthiſi jam hic agendum eſſet pulmonali. Cum vero tuſſim ordinario Phthiſis & tabes

excipiat, eundem ordinem ſequi dictat ratio; denique et de aſthmate hoc faſciculo agendum puto, cum et hoc maximam ſimilitudinem & analogiam habeat ſummam cum phthiſeos pathemate.

133. Sonora autem involuntariaque aëris expulſio per os, qua organa reſpiratoria ſe liberare conantur, ab irritamento quocunque, tuſſis dicitur, quae eſt vel ſicca cum nulla aut parca excreatione, vel humida cum viſcida, craſſa, flava purulentave.

§. 134. Praeterea tuſſis ſaepiſſime eſt epidemica autumnali vel & hyemali tempore, aere praecipue exiſtente frigido & humido, quo libera praepeditur perſpiratio; vel ſporadica a corporis refrigerio improvido, pedum refrigeratione, pectorisque denudatione incauta, debilibus & ſenibus maxime familiaris. Omnium pectoris morborum inflammatoriorum, empyematis, hydrothoracis, pectorisque malae conformationis, organorumque reſpiratoriorumque male affectorum, tuberculis videlicet varicibusque propria & idiopathica. In affectibus abdominis, hypochondriacis, hyſtericis & in gravidis ſympathica, quae etiam nervoſa dicenda, dum ſaepe non tam a partium diſtenſione & pectoris anguſtia, quam per nervorum conſenſum fit, qualis eſt tuſſis, quae a dentitione, vermibus, ſaburra primarum viaram quatit infantes.

§. 135. Non raro autem tusſis materiae, miaſma eſt morbilloſum, rheumaticum, arthriticum,

 ſcor-

ſcorbuticum, ſcabioſum, venereumque, tum ſe-rin ſaepisſime excitatur ab alienis, forma vaporis fumive & pulviſculi in pulmones vel laryngem illapſis, unde prae caeteris Anglis tusſis frequens ob carbonum fumum ſpiſſum, quo athmosphaera continuo repletur tota. Pharmacopolis & chemicis familiaris a vaporibus acidis, in elaboratoria inſurgentibus. Molitoribus a farnia volatili; lapicidis & ſtatuariis ab arenulis inſpiratis; metallifoſſoribus a pulviſculis mineralibus; fabris murariis a calcis vivae atomis; immo et ab uvula prolongata & relaxata, glotidi incumbendo tusſis excitari poteſt. Hiſce omnibus addendum & tracheae laeſiones & thoracis vulnera inter tusſis cauſſas.

136. Tusſis omnium ſimplicisſima catarrhalis a materia acri, tenui, pulmones & tracheam obſidente ad tusſimque incitante neglecta, aut male tractata, ferocior, chronica & habitualis fit, inflammationesque cum omnibus earum ſequelis producit tubercula & vomicas clauſas formabit, quod et praecipue opii uſui nimis intempeſtivo debebitur.

§. 137. Incipit autem tusſis catarrhalis cum levi horripilatione coryza, capitis graevedine, pectoris anguſtia & dolore, faucium continua titillatione, narium pruritu, ſternutatione, raucedine, brevique terminari ſolet ſputis crasſis coctisque; ſin minus, phthiſeos incutit metum & periculum, in juvenibus praeſertim.

§. 138.

§. 138. Quodſi vero materia acris & tenuis nimis, incraſſari, vel e contra tenax valde, attenuari neſcia, tusſis mane praecipue fatigat, et vel materia ejicitur viſcida, albicans ſpumoſa, ſubflava rotunda, granuloſa cum ſtriis ſanguinis, vel purus ſanguis non levans. Poſtea ſicca in dies magis magisque evadit ad motum & poſt parſum augetur, donec vomitu rejiciantur ingeſta: progreſſuque demum temporis humida fit tuberculis ruptis, halitusque diu ante horum exulcerationem foetet. Sic tandem fit mora, quae per ſe non periculoſa tusſis.

§. 139. Quamdiu ergo tusſis catarrhalis adhuc, ſi dolor in ſterno, anguſtiaque pectoris febrisve adſunt, ſanguinis misſio celebranda, eaque pro re nata repetenda, majori vel minori quantitate. Venae ſectiones parvas ad uncias IV. vel V. omni octiduo iterandas, ratione tamen habita ad plethoram & ad vires, commendat in tusſi phthiſeos praecurſore, ipſaque phthiſi PRINGLE. Laxantia leniora ſuum quoque habent uſum, non ſine aliqua cautela exhibenda, ſi tusſis ſicca nimis, vel ſi excreatio cocta rite procedit. Balnea tepida, pediluvia & pectoralia incraſſantia. No. 29. in uſum vocanda; nec non thea medicata No. 30. mihi uſualis. Ad excernendam materiam viſcidam, craſſam tenacemve nimis incidentia No. 31. 32. 33. quam maxime valent.

§. 140. Tusſis ferina, ſpaſmodica, ſicca phthiſin minitans, ſi hernias in pueris praeſertim,

abortum in gravidis, haemoptoen praecavere ſtudemus opio compeſcenda ſomni tempore, quo et noctes pacatiores reddantur; transſpiratioque tuſſitando non interrumpatur. Huic ſcopo conducunt pilulae de cynogloſſa ad grana IV vel et laudanum liquidum Sydenhami ad guttulas XV. XX hora decubitus. Quomodo autem opio prudenter adhibito ad granum dimidium ſcilicet bis de die per longum tempus, non omiſſis ſanguinis miſſionibus in plethoricis et me ipſum aliosque quam plurimos a phthiſi liberavarim, legitur in *collectaneorum medicorum Hafnienſium volumine altero.* Commendantur et veſicantia ad dorſum & ad pectus; nec non fonticuli aperiendi in brachia haec praecipue habent locum. Si tuſſis a metaſtaſi & a miaſmate morboſo, quodſi a ſcabie repulſa omnibus dictis & ſulphurata addenda, a quibus aliter quam maxime abſtinendum in tuſſientibus cum magno BOERHAVIO credo. Roborandi gratia cortex peruvianus, aquae ſelteranae cum lacte, ſuffitus No. 34 ore ex prunis candentibus excipiendus, nec non corporis motus & praeſertim equitatio laudantur merito.

§. 141. Tuſſientibus vinoſa & ſpirituoſa minime conducunt, vinum malvaticum tamen in tuſſi ſenum pituitoſa concedi poteſt. Aromata calida, ſalita, carniumque nimius eſus vitanda quam maxime. Non improbantur vero caro vitulina, ova ſorbilia, aves juniores piſceſque minores, praecipue ſi febris nulla. Lacticinia autem,

lac

lac ebutyratum, pulmenta, ex oryza, amylo ſagu cum paſſulis minoribus, decocta panis cum vitello ovorum, fructus horrei omnino utilia. Tiſana hordeacea, potus the calidus, quibus addendum volunt quidam ſpiritum Mindereri ad diaphoreſim promovendam maximi uſus. A refrigerio prorſus caveant ſibi tusſientes. Monendum tamen, quod tusſi catarrhali prae nimia nervorum ſenſilitate ſaepius obnoxiis ſuadere velim, ut ſenſim aſſueſcant ſe aeri frigidiori committere, conclavia calida fugere, veſtimenta ſuperflua & corpus gravantia paulatim deponere, & in cubiculo frigido dormire, quo corpus firmius reddatur, magis par perferendo aeris injurias continuas. Tuſſis deuteropathica non niſi morbo primario ſublato tollitur, et illa in gravidis omnis generis remedia fruſtra tentata tuſſim ſtatim a partu ſedatam ſaepiſſime vidi.

CAP. XX.
DE TUSSI CONVULSIVA.

§. 142.

Tuſſis convulſiva puerorum & pertuſſis infantum eſt contagioſa et epidemica, non magis tamen hyberno, quam aeſtivo tempore. Raro vel nunquam ſolet eosdem bis aggredi, ſemel ergo eandem paſſi in poſterum liberi manent. Morbus vero per plu-

plurimas durat ſeptimanas. Subinde vero per aliquot dies ceſſat, dein eadem vel et majori vi iterum inſurgit. Alternis diebus exacerbari vult ROSENSTEIN typumque tertianarium in ea obſervari, quod vero non adeo certum.

§. 143. Tuſſis aliquoties interdiu noctuve interpoſitis duabus vel tribus horis infantes vexat, nec ceſſat, niſi cum vomitu; aliquando cum ſanguinis eruptione ex ore & naribus. Inſpiratio eſt clangoſa, gallicinio non abſimilis, facies fit livida, ſuffocatio per aliquot temporis momenta minitatur febrimque ſaepe habet comitem.

§. 144. Terminari ſolet in perfectam ſanitatem, in mortem ſubitam ſuffocando, ſubinde & convulſionibus & epilepſia necat. Neque raro et haec tuſſis ad phthiſim & lentam ducit tabem & ad hydropem. Mortem mentitam ex tuſſi convulſiva vidit DE HAEN, recommendat omnia tentanda, ut vita revocetur: vidiſſet ego, & frictionibus abdominis per horam continuatis ad vitam revocavi infantem bimulum.

§. 145. Cura tuſſis convulſivae optime inſtituitur, ſi ab emetico incipiamus, ſc. pauca grana radicis ipecacuanhae cum ſaccharo bis vel ter ſingulis ſeptimanis exhibendo; dein debitis intervallis quoque laxantia ex pulvere rhabarbari cum duobus granis mercurii dulcis. Hoc modo enim eliminatur cauſſa materialis pituita. Obſtruens & ſabur-

ſaburra in primis viis ſtabulans. Eſt enim tuſſis haec quam maxime ſtomachalis, ſed et ideo non minus pulmonibus infeſta.

§. 146. Ubi autem plethora, pulſus plenitudo, pectoriſque oppreſſio adeſt, venae ſectio ſive in brachio, ſive in jugulo neceſſaria eſt; quodſi uti fit, venae prae pinguedine latent, hirudines ad brachia vel tempora adhibitae bonum praeſtant effectum. Applicantur quoque veſicantia ad ſcapulas vel ad ſternum bono cum effectu. Quid vero cantharides interne ſive forma ſolida, ſive liquida datae valeant in hoc morbo, dicere non auſim. Formulas ab authoribus commendatas vide No. 35. 36. Cicutam etiam a quibusdam laudatam non magis utilem in hoc affectu, ac in quam plurimis aliis, in quibus mire extollitur, inveni; forſan ejus ſolutio aquoſa praeſtare quid poterit, ubi ſcrophulae aliaeque glandularum indurationes.

§. 147. Caeterum evacuationibus neceſſariis probe inſtitutis ſummum percipitur emolumentum ex moſcho cum aquila albo, ad methodum LETSOMNIANAM dato. Quidam melius habuere ex pilulis aſſae foetidae. Roborandi ſcopo nihil praeſtantius, quam cortex peruvianus cum terra foliata tartari combinatus. Balnea frigida pariter & corporis exercitium in frigore non rudi aut aſpero valde, eidem fini in uſum vocavi. Ex Bechicis nullum tutius in hoc morbo propinatur, quam oxymel ſquilliticum. A dulcibus exaſperari tuſſim com-

compertum mihi eſt. Nocent et hic alimenta craſſa viſcida, farinoſa, nec non vita otioſa aut ſedentaria nimis.

CAP. XXI.
DE PHTHISI PULMONALI.

§. 148.

Phthiſis eſt corporis emaciatio & conſumptio ex ulcere, pulmones aliaque viſcera depaſcente, febrique lenta chronica utplurimum comite, ex pure, ſanguini circulanti mixto.

§. 149. Militant inter Phthiſeos cauſas omnia, quae tuſſim producere valent, de quibusque capite praecedente dictum. Praecipue autem phthiſios incutiunt metum, catarrhus frequens, tuſſis ad quasdam aëris leviores mutationes circa autumnum, aut ver, in corpore tenui, collum longum gracileque, pectus planum et anguſtum, ſcapulas alarum ad inſtar elevatas habente, cum cute glabra alba tranſparentibus venis caeruleis & macredine inprimis in manuum carpis. Quaeque omnia phthiſin certius praeſagiunt, ubi datur diſpoſitio hereditaria, ſive in corporis fabrica, ſive in methodo vivendi parentum phthiſi confectorum analoga.

§. 150. Phthiſis aliquando acuta ſatis, ſaepiſſime vero chronica admodum, quo junior homo, eo citius conficitur. Ab anno 18 plurimum in viris, 16 & citius in foeminis, raro poſt 36 obvenit, diutiusque tolerari tunc temporis absque vitae periculo poteſt. Pulmones enim jam non ita molles, minus facile exulcerantur, pusque potius tunicatum manet, vel ulcus fit calloſum ſive fiſtuloſum, quaſi fonticulus quotidie pus fundens. Bene comedunt tales aegri, dormiuntque commode. Nec nutritio perit, dum ſanguis caeterique humores non adeo corrumpuntur, alteranturve.

§. 151. Juvenes praeterea narium haemorrhagiae obnoxii, de phthiſi olim ſecutura caveant ſibi, venae ſectione prudenter inſtituenda ſtatim ac incommoda, capitis dolor, anhelitus ad motum, vaſorum inturgeſcentia percipiantur ab hujus conſuetae retentione, quamdiu enim haec periodice redit, phthiſios acceſſum protrahi, BENNETI eſt obſervatio. Haemoptoën phthiſeos pulmonalis praecurſorem eſſe, frequentiſſime obſervatur, tamen & phthiſim absque praevia haemoptoe, hancque absque inſequente dari phthiſi, certo certius eſt. Magis mirum videtur quidem ſigna phthiſios conſumatae adeſſe poſſe, pulmonibus in cadavere integris omnino inventis, referente DE HAEN.

§. 152. Ad phthiſin praediſponere creduntur pectoris conſtrictio per faſcias ab incunabulis, per tho-

thoracum usum in virginibus; vita sedentaria & mensium emansio, eorundem lochiorumve & leucorrhoeae improvida suppressio in foeminis. Carnium esus nimius, unde et Anglis familiaris, cuique non parum contribuit carbonum fossilium fumus. una cum spirituosorum abusu: animi pathemata continua, moeror diuturnus, nimia cogitatio, studia intempestiva, exercitii neglectus, iterumque vocis exercitium cantu scilicet nimium. Hisce adde miasma arthriticum, rheumaticum, scrophulosum, scorbutum, venereum, demumque contagium. Si phthisis enim non est contagiosa, negari saltem non potest, nullum morbum facilius per accubitum & cohabitationem contrahi, quam phthisim. Saepissime enim contigit mihi videre et maritum ab uxore, uxoremque a marito phthisin contraxisse.

§. 153. Phthiseos tres statuuntur gradus; in primo tussis vexat inanis matutina, nocturnaque, rubor adest genarum cum calore in volis manuum circa digestionis tempus absque corporis sensibili emaciatione appetitus viget, somnusque satis tranquillus est.

§. 154. In secundo stadio omnia augentur, tussi vero excreantur sputa globosa rotunda, grandinum ad instar, sapore praedita salso; praesertimque quatit haec a pastu, donec ingesta vomitu rejiciantur, appetitus minuitur, somnus tussitando interrumpitur, febris hectica & corporis consumptio

ptio indies major, ſudor facile dormienti et evigilanti matutinis horis circa frontem & jugulum. Calor & pulſus ad naturalem iterum accedunt ſtatum, donec ad veſperam omnia denuo exacerbantur in perpetuum circulum.

§. 155. In tertio demum gradu, ſumma citaque adeſt conſumptio, calor hecticus continuus. Horis veſpertinis, praecedente levi horrore exacerbatur febris remittentis vel et intermittentis induit faciem, virium jactura maxima, raucedo, ſputa purulenta ſubdulcia, in aqua ſalſa quidem ſubſidentia, capillorum defluvium, ſudor & diarrhoea colliquativa, ſputorum ſuppreſſio, pedum et brachiorum intumeſcentia oedematoſa, animi deliquia; aphthae, rubor faciei fixus, facies hypocratica, oculi concavi, naſus acutus, nares contractae, aures frigidae, deliria obſcura, urina oleaginoſa, mors. Interdum phthiſici loquentes vel bibentes ſine ulla mentis perturbatione, nec ſine ſpe fallaci reconvaleſcendi inopinanter pereunt.

§. 156. Circa aequinoctia febri magis intenſa inflammatoria laborant phthiſici, dum tubercula clauſa exulcerantur, omniaque augeri potius vere, quam autumno ſaepius vidi, maximeque periclitari phthiſi laborantes ineunte aeſtate, obſervavit quoque HUXHAM.

§. 157. Phthiſis melius praecavetur forſan, quam curatur, ergo in praediſpoſitis omni cura

praevenienda haemoptoës, venae sectionibus prudenter aliquoties in anno institutis. Neque semel insuetis impune negligetur haec sanguinis missio. Somnum capiant ante mediam noctem, maneque diluculo surgant e lecto. Corpus moveant quotidie, lenioribus interdum utantur laxantibus, vitatis summopere fortioribus; caveantque a ventis frigidis, frigoreque matutino atque nocturno, hoc enim phthisicis quam maxime infestum, hilares sint animo, curas & moestitiam deponant.

§. 158. Cura pro diverso gradu etiam diversa. Itaque in phthisi incipiente semper requiritur venae sectio, quae subinde pro re nata repetenda. Diaeta sit lactea, neque caseus mollis recens hic noxius. Pulmenta ex oryza conducunt, vegetabilia prae animalibus praeferuntur. Aquas minerales martiales cum lacte bibantur; propineturque mane lac asininum vel caprinum recens mulctum coram lecto aegrotantis, neque suo calore nativo orbatum, cum pauco saccharo, ne ita facile coaguletur in stomacho debiliori. Tum laxa roborentur cortice, tussique vexanti inani froenum injiciatur opio, hora decubitus, ne somnus turbetur, utque haemoptoes praepediatur. Succus millepedum centum expressus in hoc stadio a quibusdam commendatur. Laxantia leniora interdum, immo et emetica talia non raro in phthisi incipiente proficua.

§. 159.

§. 159. In ſecundo gradu praeter jam dicta, incraſſantibus capite de tuſſi laudatis, expectoratio promovenda, inter quae et opium recenſendum, noctem enim pacatiorem reddendo lympham ſomni tempore incraſſat. Aliquando non ſine fructu datur in hoc ſtadio muſcus islandicus cum lacte coctus. Cancri fluviatiles, limacum liquor commendantur quoque. Cucumerum ſuccum refrigerandi ſcopo in febri hectica felici ſubinde cum eventu exhibui, nec contemnenda ſunt acetaria, ex iisdem parata, quamdiu ſtomachus adhuc digerere valet. Aeger aeſtivo tempore ad aerem campeſtrem & ruſticationem relegandus, mire enim reficitur ex balſamicis florum exhalationibus. Subucula lanea maximopere valet ad tranſpirationem promovendam, inde et aliquando quid boni ſperare licet ex decocto lignorum. Infuſa thei formia ex ſemine lini cum radice glycyrrhiza expectorationi favent. Setacea & fonticuli et hic laudantur.

§. 160. In tertio ſtadio, ubi omnia pariter cum calore hectico ingraveſcunt, cautius mercandum cum aquis mineralibus & cortice peruviano, motum humorum enim maxime augent; ut putredini autem obicem utcunque ponamus, praeſtat cortici in ſubſtantia decocta corticis praeferre addito acido vitrioli. Lac ipſum in hoc ſtadio ſuſpectum eſt ob febrim hecticam nimis auctam, abnormesque anxietates, quae eo epoto percipiuntur. Venae ſectio & hic palliative ad

 miti-

mitigandum calorem hecticum, pectorisque oppressionem & tussim leniendam instituenda interdum, quamquam ratione debilitatis summae minus apta censetur. Symptomata, uti diarrhoea colliquativa, agrypnia, tussis & opio hic compescenda, quo saltem mors pacatior accedat. Phthisin enim in hoc stadio omnino incurabilem esse, omnibus notum est. Sanatas quidem vidi, ubi omnia non deplorata adhuc in juventute, verum accedente senio iterum recrudescentes phthises & ad mortem ducentes.

§. 161. Balneo terrae tamen sanari posse, perhibent in regno Granatensi, uti legendum apud VAN SWIETEN; ex vaporosorum & suffituum administratione multum sperant in phthisi nondum deplorata BENET & WILLIS; vapores humidos ex decoctione herbarum pectoralium & balsamicarum laudat BUCHOZ, varia boni successus exempla affert BILLARD. Exhalationibus in bovile insurgentibus, phthisin curari volunt alii. De oleo asphalti nihil certum statuere possum.

§. 162. Phthisis symptomatica raro etiam, vel nunquam sanatur, ni statim ab initio primarium liceat curare morbum, scrofulis autem, scorbuto, mensium emansioni etc. medendum, antequam in phthisim degenerent; veneream tamen phthisim contigit mihi sanare consumatam, inunctionum mercurialium ope indeque sequentis salivationis, cujus historiam haud ingratam fore Lectori puto.

§. 163.

§. 163. Abhinc ergo jam 20 annos & ultra, C. B. nobilissimus juvenis 25 annorum aequo plus in venerem pronus, variaque inde incommoda reportans, et utcunque subinde apta curatus medicina, eadem semper oberrans chorda, demum vera afficitur lue, foedis ulceribus per totum corpus praecipueque ad fauces, exostosibus & tophis in fronte deturpatus, mireque et morbo & remediis mulctatus, febri corripitur hectica, & phthoë cum tussi continua, molesta, purisque excreatione circa matutinas horas praesertim, praeter sudores nocturnos, nec non diarrhoeam colliquativam & corporis summum marasmum, ut os atque pellis esset totus. — Medico chirurgo quondam celeberrimo & peritissimo utebatur aeger, sed nescio, quo fato eidem valedicens me in ejus locum substituit. Dolebam deplorabiles aegri vices, eoque magis, quod et morbi & mortis imminentis sibi conscius, anxie quaereret auxilium a me per mercurialia, quae interne minime propinare audebam, ne forsan mercurii vis ad interiora ruentis alvi fluxum cum magno augeret damno. Ad leves inunctiones igitur accedo, noctu alternatim et nunc ad brachia, & nunc ad crura instituendas. Paucis vero elapsis diebus salivatio oboritur, praegressa glandularum salivalium & gingivarum tumore, nec non dentium vacillatione; modo jam cessantibus et sudoribus & diarrhoea, viribusque insuper potius auctis, quam imminutis. — Tali successu haud leviter laetus iisdem insistere jubeo inunctionibus, donec Ny-

ἐthemeri ſpatio ad libram aſcenderet integram ptyaliſmus, felici adeo ſcilicet eventu, ut octo ſeptimanarum curriculo, et a lue cum omnibus ſuis ſatellitibus et a phthiſi incolumis evaſerit, non minori meo, quam ſuo oblectamento, vivitque in hunc uſque diem ſanus, robuſtus et toroſus admodum, aliquotque liberorum pater optima gaudentium ſanitate.

CAP. XXII.
DE PHTHISI NERVOSA.

§. 164.

Cum phthiſi pulmonali non inepte jungitur phthiſis nervoſa ſeu tabes dorſalis, quamvis enim haec definiatur corporis emaciatio ſeu conſumptio absque febri inſigni ſaltem, aut ullis organorum pectoris affectorum ſignis, fit hoc ſolummodo in initio, tractu enim temporis & phthiſin nervoſam pulmonalis ſequitur, ideo GAUBIUS ex profuſione ſeminis nimia, et tabem pulmonicam et dorſalem fieri, ait.

§. 165. Tabem dorſalem ergo procreare valent omnes evacuationes nimiae, inde recenſetur phthiſis nervoſa a lactatione nimia, fluoreque albo diuturno, haemorrhagiis repetitis. Ab onaniſmo gonorrhaea benigna, pollutionibus frequentioribus, venere immodica & praematura, unde

unde Hippocratis est obſervatio, maxime recens nuptos & libidinoſos a tabe affici dorſali, ex ſalivatione protracta diu, inde ex abuſu fumi tabaci, ex diabete, diarrhoea, nec non ſudore continuo, a quacunque cauſa producto, ex omnibus, quae vires poſternere poſſunt, uti ſtudia protracta, lucubrationes vigiliaeque continuae & inedia. Animi pathemata graviora, inſanusque amor & noſtalogia. Tandem ex his, quae lympham depravant nutritivam, uti acrimonia ſcorbutica V. C. potio liberalior liquorum ſpirituoſorum.

§. 166. Tabes dorſalis dicitur morbus ob ſenſum formicationis, quem aegri percipiunt in dorſo cum calore, frigore & dolore circa lumbos praecipue. Praeterea ſtatus corporis cachecticus apparet, appetitus omnia praeter liquida et potulenta nauſeat, ſeminis liquidi ad alvi, urinaeve excretiones effluxio adeſt continua; ſi a nimia venere praeſertim, indeque virium tanta oritur imbecillitas, ut perpetuus adſit decumbendi amor. Urina ſaepe pauca & rubra, ut plurimum vero, uti in omnibus affectibus nervinis, pallida, ſtraminea, copioſa, febrisque hectica demum accedit cum vera phthiſi pulmonali, ex omnium humorum corruptione vel cum tumore hydropico, morsque tragoediam claudit.

§. 167. Morbus chronicus ergo eſt, curatuque difficilis admodum, venae ſectio in phthiſi

 pul-

pulmonali tanti usus, in nervosa & dorsali maxime noxia, cathartica hic quoque nulla valent, nisi forsan rhabarbarina interdum. Ex abstinentia a coitu, ex ablactatione infantis subita, ex replentibus & lacticiniis, jusculis vitulinis, chocolada, ovis sorbilibus, tum ex aquis mineralibus, cortice peruviano, ligno quassiae, chalybeatis, corporis exercitio, equitatione in aere aprico, balneisque frigidis multum sperare licebit.

§. 168. Laxitas quoque uti et rigiditas partium excedens possunt recenseri inter causas talis phthiseos, haec praecipue in marasmo senili, immo & ante senium corpore duris laboribus obrigescente, illa vero in junioribus occurrit. In priori casu autem balnea frigida roborandi, in posteriori, tepida laxandi scopò commendantur. De marasmo & atrophia partiali, uti in paralysi & in ischiade, vel et in membro, a tumore aliove modo compresso, quo succi nutritivi distributio denegatur, nihil est, quod hic dicam.

Cap. XXIII.

DE ATROPHIA INFANTUM.

§. 169.

Atrophia infantilis ob analogiam, quo ad praecipuum symptoma, et hic pertractanda venit.

nit. In hoc morbo totum emaciatur corpus, venter tantum molle indies increſcit & lapideam ferme acquirit duritiem, dum carnes omnino flacceſcunt, vultus pallet, alvus ſolito liquidior.

§. 170. Cauſa proxima conſiſtit in nutritionis defectu, cum vaſa lactea obſtructa chylo tranſitum denegent ad ſanguinem. Cauſae remotiores, lac nutricis vitioſum vel deficiens; alimenta nimis craſſa, viſcida, auſtera, fructusque immaturi, glandulas meſeraica infarcientia, inde et atrophia meſeraica audit, praeter polyphagiam, vermes in inteſtinis nidulantes; nec non abſorbentium abuſum pro acido primarum viarum domando, coeliacam paſſionem ſub lactis ſpecie.

§. 171. Caeterum in atrophia, ſi a lacte vitiato, ſtatim nutrix mutanda, demum pro glandularum obſtructione reſecanda in junioribus valent medicamenta No. 37 adultioribus No. 38. praeter aquam marinam, quotidie ad aliquot uncias epotam; oleum tartari per deliquium in copioſa aqua ſolutum, ubi acidum peccat, tum et unguento No. 39 abdomen quotidie inungendum fortiter ſatis, plus enim ſpei concipio a frictione, quam ab inunctione ſimplici, quam tantum pro more recepto commendo.



Cap. XXIV.
DE ASTHMATE.

§. 172.

Difficultas ſpirandi non ſine ſibilo aut ſtertore & ſuffocationis periculo aſthma dicendum, dividiturque in dyſpnoeam & orthopnoeam, quae tantum gradu differunt, quodſi vero ab irritatione quacunque larynx ita conſtringitur, ut ne quidem tuſſire valeat aeger, eidemque potius ſuffocationem minetur, catarrhus audit ſuffocativus.

§. 173. Aſthma eſt pneumonicum ſeu idiopathicum, ſi organa reſpiratoria quocunque modo vitiata aut laeſa; ſi polypi, tubercula, hydrothorax, mala pectoris conformatio, oſſeſcentia, quale obſervavit Vogel ex duritie oſſea cartilaginum coſtarum.

§. 174. Aſthma ſympathicum oritur ex partibus abdominis male affectis, ex affectu hypochondriaco, ex ſaburra in ſtomacho, quale pueris polyphagis familiare valde, ex ſanguine ſpiſſo ſaepe in adultis.

§. 175. Praeterea datur aſthma ſubito ingruens, & pulmones ſpaſmodice ſtringens, quod convulſivum audit, ut plurimum ſiccum eſt, hyſte-

ſtericis ex nervorum conſenſu, metallurgis ex vaporibus & exhalationibus mineralibus frequens.

§. 176. Aſthma iterum continuum eſt, periodicum, accidentale & tranſitorium. Continuum quidem eſt in pulmonibus, quocunque modo vitiatis vitio habituali. Periodicum, ubi cauſſae potius quaerendae in vitio ſex rerum non naturalium pariter cum debilitate, irritabilitate pulmonum comite, eſtque omnium frequentiſſimum, de quo praecipue agunt medici authores, et de quo FLOYERUS medicus anglus, qui ipſe aſthmate periodico humorali laboravit, integrum conſcripſit tractatum. Accidentale & tranſitorium a cauſis tranſitoriis magisque vitabilibus oritur.

§. 177. In paroxyſmo aſthmatico praeter reſpirandi difficultatem, quae non raro tanta, ut non niſi ſitu erecto peragi poſſit, pulſus eſt debilis ob liberam ſanguinis circulationem impeditam, manus frigent, facies fit livida, hypochondria diſtenduntur, tuſſis adeſt, qua remittente paroxyſmo anacatharſis ſuccedit pituitoſa cum ſtriis ſanguinis mixta, in convulſivo tuſſis et excreatio non adeo ſenſibiles.

§. 178. Acceſſionis humoralis praeſertim prodromi ſunt anxietas & oppreſſio praecordiorum cum ructibus inſipidis, calor inſolitus, capitis gravedo, ſomnolentia aſſidua, urina pallida, quae finito paroxysmo ſedimentoſa craſſaque fit. Qui fonticulos gerunt, dolorem percipiunt moleſtum

in

in iisdem, a quo ſibi de futuro paroxysmo metuunt.

§. 179. Autumno frequentiſſime occurrit, uti ad aëris quasvis mutationes ſive hyeme ſive aeſtate, in hac enim pejus ſeſe habent ſaepiſſime aſthmatici ob nimium calorem, qui ſemper iisdem moleſtus, inde neque hypocauſti, neque lecti calorem facile ferunt, ſemper aerem quaerentes liberiorem. In illa a frigore nimis et ventis ab oriente male habent, in aere montano nebuloſo pingui male quoque afficiuntur.

§. 180. Favent praeterea paroxysmo excitando evacuationes ſanguinis ſive naturales; ſive artificiales, retentae vel neglectae; lac repulſum, alvi obſtructio, miaſma exanthematicum, pectoris compreſſiones, vis illata, ſpirituoſorum uſus immoderatior, fumi quicunque, odores ſive ſuaves, ſive inſuaves. Obeſi, pueri, ſenesque prae caeteris aſthmate affici ſolent.

§. 181. Aſthma infantum periculoſum valde, citisſime enim ſuffocat, ni matura fiat medicatio. In junioribus phthiſi viam ſternit. Vidi tamen perfecte ſponteque ſanatum aetate increſcente viribusque auctis. In ſenibus cum tumore pedum plerumque hydropis eſt prodromus. Tument pedes aſthmate ceſſante, tumore evaneſcente redit aſthma, indeque catarrhum ſuffocativum obſervavit Ludwig.

§. 182.

§. 182. Cura alia in paroxysmo, alia extra paroxysmum, alia in humorali, aliaque demum in convulſivo. In paroxysmo autem, venae ſectio in plethoricis & infantibus quidem vel et hirudinum applicatio ſubinde neceſſaria. In convulſivo haec minus tuta. Cave tamen, ne in quovis leviori quamvis paroxysmo, vel ubi non adeſt plethora, ſanguinem detrahas; hydropem enim, in quem jam ſatis proni aſthmatici, citius accerſes. Iterumque cave, ne pulſus parvitas te terreat a ſanguinis detractione in paroxysmo violento nimis & in caetero, quin robuſto & plethorico aegro, pulſus enim fortior vibrabit reſpiratione liberiore reddita per ſanguinis evacuationem.

§. 183. Vomitus etiam non raro juvare poteſt, nempe ſi pituita tenax, pulmones aut ventriculum gravat. Non parva nihilominus requiritur hic cautela, ne aeger ſuffocetur. Leniora & refracta dentur doſi. Acetum ſquilliticum cochleatim, vel pulvis No. 40, ſuperbibendo infuſi florum chamomillae romanae tepidi uncias duas. Alvus quoque vel laxante, vel clysmate promovenda. In convulſivo, ſolutio aſſae foetidae ad drachmas duas in aquae menthae ſufficiente quantitate, in clysmate egregie praeſtat.

§. 184. Caeterum veſicantia ad ſuras vel ad nucham, non autem ad pectus, reſpirationem enim reddunt difficiliorem, adhibenda. Expecto-

ctoratio ſcilliticis, lacte ammoniacali, millepedum expreſſione, nec non lacte ſulphuris ſollicitanda in humido. In convulſivo autem commendatur mixtura No. 41 vel 42. Odor quoque aſſae foetidae ſolamen affert in paroxysmo hyſterico & convulſivo; potus caffe ſaturatus a quibusdam laudatur. Pediluvia hic non omittenda.

§. 185. Extra paroxysmum pilulae ex aſſa foetida ad grana XXX per diem maximi uſus inveni in aſthmate convulſivo. Atqui in humido nihil melius, quam ſaepius exhibere ſal mirabile Glauberi, aquas catharticas amaras ad humores evacuandos & per alvum derivandos, acetum ſquilliticum bis die ad cochlear majus, vel et pulverem No. 40 ad pituitam incidendam. Commendant quidam hic aquam calcis, ſed dolendum, quod calorem ſitimque ſaepiſſime augeat. Cortex peruvianus roborando valet.

§. 186. Diaetam quod attinet, veſtimenta & ſtragula ſive in paroxysmo, ſive extra eum, minime aggravent corpus, decumbatque aeger in conclavi amplo aëreque frigidiuſculo, alvus ſervetur laxa quotidie, caeterum aer ſeligatur ſiccus, purus. Venae ſectio inſtituatur in plethoricis prophylactica bis in anno; fonticuli aperiantur in brachiis. Exercitia fiant ad lenem laſſitudinem, vehementiora nocent. Frictiones partium inferiorum commendantur, diu non tamen una vice

con-

continuandae, ſanguinis enim motum commovent; animi pathemata, ira, timor, moeror, metus, meditationes protractae aſthmaticis omnino vitanda.

§. 187. In victu, lacticinia, cremor, caſeus, caro infumata aliaque fumo indurata, oſtrea, cancri, gelatinoſa, omnia oleoſa, pinguia; faba acetaria, rapae, braſſicae: fructus auſteri, flatulentaque omnia caute vitentur utpote noxia. Conducunt autem amara, cochlearia, pimpinella in acetariis: ribeſia, fraga, ceraſa, mel, non incongrua cenſentur. Ova ſorbilia cum aceto in prandio laudat FLOYER, caeterum eupepta non magna copia praecipueque in coena ingeſta haud inutilia. In potu cereviſia fortiora, Punch damnantur. E contra vinum hyſpanicum apprime conducit ſubinde.

CAP. XXV.
DE INCUBO SEU EPHIALTE.

§. 188.

Aſthmatis ſpecies eſt Incubus ſeu Ephialtes, qui et ideo quibusdam aſthma nocturnum, ratione temporis ſcilicet, quo invadit; dicitur. Si vero cauſam ſpectas potius, aſthma ſtomachale dicendum. Qui eo autem afficiuntur, ſe opprimi credunt

dunt in ſomno, a ſpectris, ſagis, daemoniis, monſtris, pondere incumbentibus, venerem exercentibus aliove modo torquentibus, cum oppreſſione pectorisque anxietate tanta, ut inde clamare vel et loqui non poſſe ſtrangularique ſibi videantur.

§. 189. Accidentale fere eſt, et a polyphagia, coena lauta, decubitu ſupino fere ſemper oritur. Inde ergo inſultus avertitur commode decubitu in latus, coena ſobria & Platonica, abſtinentia ab alimentis crudis & flatulentis. Tum et venae ſectione in conſuetis tali evacuationi periodicae. In paroxysmo aeger e ſomno excitandus bibatque infuſum theae, hic enim potentius non datur ſtomachicum.

§. 190. Affectus plus terroris, quam periculi affert, novi quos toto vitae decurſu aliquoties in anno pathema afficit, caeteroquin bene valentes. Interdum tamen apud juvenes in epilepſiam, inde Arabibus epilepſia nocturna audit, apud ſenes in apoplexiam degenerat.

Cap. XXVI.

DE DOLORE IN GENERE.

§. 191.

Proximus inflammationis gradus ejusque individuus fere comes plus minusve acutus pro varie-

varietate partis affectae eſt dolor, ideo et hoc faſciculo de eo agetur. Eſt autem ſenſus moleſtus omnique animali ingratiſſimus, fugiendus, a nervis, ſive in ſubſtantia medullari, ſive in fluido nerveo male affectis. Dolor eſt generalis, vel particularis; vehemens, acutus, brevis, vel lenis, obtuſus, chronicus continuusve: vagus vel fixus; oſteocopus, terebrans, lancinans, pulſatorius, rodens mordensve.

§. 192. Dolor generalis percipitur in omnibus corporis membris, in arthritide, rheumatismo, ſcorbuto, lue venerea: particularis in aliqua corporis parte praecipue reſidet, uti in cephalalgia, odontalgia, podagra; nec non in alterutro maxillae ſuperioris latere per quadrantem horae durans, ſaepe ad minimum motum auctus, qualem proprium eſſe vetulis, habet FOTHERGILL, curarique perhibet cicuta, a miaſmate cancroſo generari credens. Vehemens acutus plerumque brevis in membranarum inflammatione, uti pleuritide, otalgia. Lenior & obſcurior eſt dolor in hepatis, lienis pulmonumque affectibus, vel ubi nervus affectus aliquo modo compreſſus, nec non in ſcorbuticis, cachecticis, cacochymicis ab humorum viſciditate cum minori acrimonia. Suntque pariter in ſimilibus chronici & continui dolores. Vagus, in rheumaticis, fixus in arthriticis potius, oſteocopus in venereis, in diuturno labore & longa deambulatione defatigatis. Terebrans in colicis,

 pul-

pulſatorius in inflammationibus; lancinans, rodens, ubi acrimonia humorum ſumma, uti in cancro; mordens in cardialgia, nec non a vermibus in inteſtinis.

§. 193. Sunt et praeterea dolores remittentes, ſubinde nova vi inſurgentes in colicis ſine febri. Intermittentes & periodici ſub larva febris intermittentis in variis corporis partibus, frequenter vero in capite: tales cephalalgiae periodicae, cortice tantum ſanandae, ſaepiſſime occurrunt in praxi. Singulis noctibus & lecti calore exacerbari ſolent venerei, rheumatici: certis anni temporibus redire ſolent podagrici.

§. 194. Cauſae doloris ſunt variae, quaedam quidem evidentes, quaedam vero magis obſcurae. Ex evidentioribus ſunt compreſſiones, diſtractiones, luxationes, fracturae, vulnera, herniae, combuſtiones, partus, calculus, vermes, caſus, niſus & contorſio. Ex hac ultima cauſa dolor ſaepe ſubito excitatur lumborum, corpore quieſcente ſilens, ad minimum muſculorum motum vero ſitusque mutationem quam maxime ſaeviens.

§. 195. Inter manifeſtas doloris cauſas numerantur etiam irritatio quaecunque, acria ingeſta vel applicata, impetus major & motus humorum auctus, uti in febribus; ſenſuum nimia attentio, dolent enim oculi a vividiore luce, aures a ſono validiori, guſtus organa a ſapidis nimis, olfactus

in-

inſtrumentum ab odoriferis acrioribus, tactus ipſe laeditur a mitiſſimis cuticula ſublata. Hiſce addantur humorum accumulatio in quadam parte, congeſtiones topicae a quacunque cauſa, uti ſanguinis grumi poſt partum uteri orificio conſtricto, obſtructio, inflammatio, abſceſſus: nimiaque demum ciborum quantitas.

§. 196. Obſcuriores magis ſunt, exſiccatio & diſſipatio liquidorum nimia, ſolidorum nimia mobilitas & ſpasmodica irritabilitas; animi pathemata & praeprimis terror; variae humorum acrimoniae & plethora demum. Symptomatici praeterea ſunt dolores, qui percipiuntur ad lumbos in renum calculo, conamine haemorrhoidum, menſtruatione, inſtante partu, variis colicis, in principio febrium intermittentium & ante variolarum eruptionem; uti et qui circa tempora ſentitur in affectu hypochondriaco; in ventriculo male affecto ſeu crapula ad partem capitis anteriorem, in hyſtericis ad poſteriorem; in hepatitide ad ſternum, claviculas cum ſcapulis.

§. 197. A dolore inſequitur inquietudo, vigilia, debilitas, actionum functionumque omnium perturbatio. Per nervorum conſenſum oriuntur ſaepe convulſiones, pro exemplo ſit infantum dentitio. Dolorem non ſentire cauſa manente, vel non adhibitis remediis narcoticis; malum; gangraenam enim adeſſe denotat vel et mentem aegrotare, uti habet HIPPOCRATES. Fal-

 lun-

luntur ergo saepius et medici & aegroti, dum in dysenteria e. g. sine ulla causa aut crisi subito plane dolores desinunt, speque reconvalescentiae adblandiuntur, mortem enim instare, certum est ex intestinorum sphacelo.

§. 198. Doloris transplantatio & metastasis ab uno in alium locum, si ab externis ad interna, ab artubus ad viscera, ab inferioribus ad superiora, ab ignobilioribus ad nobiliora mala; e contra, salutaris. Dolores colli in febribus haemorrhagiam criticam saepe praesagiunt. Aliquando faucium, capitis, hypochondriorum in acutis delirium portendit. Dolor inflammatorius rediens timendus.

§. 199. Curatio duplex censetur; vel enim causa omnino amovenda, si possibile; vel mitiganda saltem pro tempore, stuporem nervis inducendo, manente interim causa doloris. Doloris causam tollere varia requirit; sic purgantia praestare in capitis doloribus, compertum est, analogia desumpta ex diarrhoea sponte oborta, quae hic saepissime juvat. Sic etiam in colicis quibusdam. Anthelmintica necessaria, ubi vermes; clysmatibus quoque subinde sua non deneganda laus, et in intestinorum, et in renum affectibus. Carminantia conducunt in pathematibus spasmodicis & constrictionibus a flatibus in abdomine, post alvi depositionem per clysmata aut purgans. Frictiones hic quoque bene audiunt, oleo prius abdomine inuncto. Rhabarbarina laudantur, ubi

bilis

bilis copia vel acrimonia peccat. Vomitoria adhibenda, ſi ventriculus dolet a quantitate ingeſtorum, in pectoris doloribus vomitoria nocent.

§. 200. Caeterum dolor acutus vehemens, ſenſim increſcens venae ſectionem poſtulat, non ita mitis & decreſcens. In rheumaticis praecipue conducit cum narcotico veſperi dato. Hirudinum topica applicatio ſubinde valet, praeſertim in cephalalgia. Hic etiam laudantur pediluvia, epiſpaſtica, veſicatoria ad crura, fonticulus in brachio. Veſicantia topica ſummopere expediunt in iſchiade. Semicupia oleoſa, vel ex lacte tepido in doloribus colicis, lumbagine, nephriticis valent; cataplaſmata ex mica panis in lacte parata cum croco, butyro & oleo olivarum in articulorum doloribus; balnea tepida & fotus vel embroches haud contemnenda, uti de ſingulis ſeorſim dein patebit.

§. 201. Dolores oſteocopoi, venerei, mercurialibus, ſalivatione, decoctis lignorum alvique ductione curandi, nec non balneo vaporis ſpiritus vini accenſi. Aliquando ſolutio ſaponis veneti in ſpiritu frumenti externe aut topice, ubi nulla rubedo aut inflammatio; applicatio praeſentaneum affert ſolamen. Tandem acria mechanica removenda, luxata reponenda, hernia repoſitione indiget; acrimonia diluenda, vulnera balſamicis conſolidanda, lenienda; nervique ſemilaceri abſcindendi.

§. 202. Palliative curatur dolor narcoticis; opio ſolido ſcilicet, vel et laudano liquido. Nocet vero in podagricis, niſi dolor intolerabilis, uti et in rheumaticis ſtatim ab initio absque praevia ſanguinis miſſione datum, figit enim morbum. Specifice valet in nervorum ſumma mobilitate cum tinctura aſſae foetidae conjunctum. Inter ſopientia recenſeo etiam frigida admota, ſiſtunt enim ſpirituum influxum pro tempore ſaltem; neque magis fideli lenimine quam opium doloris compeſcere videtur ſenſum, brevi iterum redeunte motu huic parti, vel remedii, vi evanida ſaeviturі.

Cap. XXVII.
DE CAPITIS DOLORE.

§. 203.

Capitis dolor vel totum occupat caput, vel dimidiam ejus tantum partem, vel et demum locum quendam tenet peculiarem; prior dicitur cephalalgia, ſi tranſitoria brevisque; cephaleave, ſi pertinax & refractaria, chronica vel habitualis: alter haemicrania audit, denique tertius clavus hyſtericus, qui aliquando unum oculum cum tempore lateris cognominis & frontis parte tenet. Aliquando partes cranii cavo contentae dolent, aliquando vero externae cal-

va-

variae offibus incumbentes, quando etiam modica capitis compreffione lenitur dolor.

§. 204. Uti caeteri affectus, ita cephalalgia eft idiopathica vel fymptomatica, prout caufa latet in ipfo loco affecto, aut ejus vicinia & in magis ab affecto diffitis vel remotioribus locis. Sic faepiffime dolor capitis originem habet in ftomacho, ejusve faburra, prava digeftione; in mulieribus ex utero plerumque fit, familiariusque eisdem occiput, quam finciput dolet, menfibus inftantibus, vel in eorundem fuppreffione. Novi foeminam, quae femper poft lunaris fluxus ceffationem fpontaneam, uno vel altero die gravisfima tali afficitur cephalalgia, & quidem, ipfa referente, a prima juventute in hunc usque diem, dum jam quadragenaria major.

§. 205. Idiopathicam autem praecipue inducunt vermes, lapilli, thophi, nodi, exoftofes, caries, inflammationes, ferofa colluvies, puris collectio, obftructiones, extravafationes, plethora ipfa. Materia arthritica aliave ibidem depofita, vulnera, ulcera, membranarum exficcatio, atrophia, fpafmi, capitis perfpiratio impedita. In calvariae osfium totali coalitione, meninguium induratione, immo et argenti vivi accumulatione ad cranii bafin, in iis, qui vel unctionibus, vel fumigationibus hujus femimetalli ufi funt, habitualis cephaleae caufam detegerunt anatomici. Symptomaticae caufam potius quaeras

in ventriculo, inteſtinis caeteriſque viſceribus abdominalibus, utero, alvi conſtipatione, febribus. Cephalalgia remittens, periodica, typum febris intermittentis ſervans, ſyphylitica peculiaris indolis ſunt affectus.

§. 206. Cauſae occaſionales deducendae ex cibis crudis copioſis, potus ſpirituoſi abuſu, motu et ſomno nimio, a quibusdam venenis, ut ab extracto ſtramonii tanquam medicamento exhibito. Hiſce addantur odores, caput gravantes, qualis eſt plurimis camphorae; decubitus capitis nimis profundus aut demiſſus in lecto; morbi catarrhales, ſolis ardor, aëris nimius calor, carbones igniti horumque fumus; pulveris tabaci abuſus; irae commotio, tempeſtas humida ſeu pluvioſa nimis; evacuationes ſeroſae, praecipue per nares conſuetae retentae.

§. 207. Quamvis et genius & indoles doloris multum varient pro varietate partis affectae, cauſaeque excitantis, in haemicrania prae caeteris vehemens eſt dolor, a minimo motu, rumore, vividiori luce auctus, ſudor adeſt frigidus, vomitus frequens, quo aqua limpida, inſipida, neque raro ſalſa, amara expellitur, duratque 24 horas fere, proſtratis quam maxime viribus. Novi quos ſaepisſime in anno talis haemicrania tenet, aliquando ad aëris mutationes pluvioſas, erroremve in diaeta commiſſum, aliquando vero absque ulla cauſa manifeſta oriunda.

§. 208. Cephalalgia producit agrypniam, inquietudines. Diuturna nulli cedens medicinae mala,

mala, coecitatis enim metum inducit: saepissimeque observatur in praxi, suffusione vel cataracta affectos, diu cephalea pertinacissima, vel saepius recurrente antea laborasse. Vomitus aeruginosus & surditas cephalalgiae superveniens maniam praesagiunt; acutus capitis dolor cum aurium tinnitu apoplexiae prodromus. Qui cum convulsionibus ophthalmiaque refractaria pari passu ambulat malus. Colli & cervicis dolor parotides aliquando in acutis protendit, nec non haemorrhagiam in plethoricis saltem; quaeque non supprimenda, critica enim est evacuatio, qua multum allevantur aegri. Humores quoque emissi per aures, uti saepe fit, nares vel fauces morbum aliquando solvunt.

§. 209. Capitis dolore vexati vitent in diaeta carnes, aromata, vinumque, infusum coffae saepe levat dolorem a prava digestione ventriculi; situm teneant erectum fere in lecto, modice caput tegant, alvum servent liberam, pedes calidos: utanturque frequenter pediluviis, quae prosunt a capite derivando.

§. 210. Ad curam quod attinet, cephalalgia idiopathica curatu admodum difficilis, neque tantum medicinam, sed et chirurgiam saepissime requirit. Sympathicae vero curatio admodum variat pro varietate causarum, & plerumque sublato morbo primario tollitur et illa. In genere autem in vehementi capitis dolore cum signis praeser-

tim plethorae, congeſtionumque circa caput, vel et in menſium haemorrhoidumve emanſione neceſſaria eſt ſanguinis miſſio ex brachio, ſaphaena, jugulari; arteriotomia temporalis, nec non hirudinum applicatio laudatur ſubinde. In haemorrhoidariis haec potius ad anum applicentur. Purgantibus ſua non deneganda laus, quae et quam maxime neceſſaria, ſi ſaburra in primis viis ſtabulans. Humorum quoque excretiones a capite conſuetae promovendae errhinis No. 43 vel et vapore per nares attracto infuſi cujusdam herbae aromaticae, qualis eſt millefolium, cujus uſus et interne more theae depraedicatur a quibusdam in cephalea refractaria. Veſicantibus, fonticulis, ſetaceis humores ſeroſi a capite aliorſum derivandi e corporeque eliminandi.

§. 211. Ubi nimia ſolidorum peccat debilitas, capitisque perſpiratio ab hac cauſa praecipue impeditur, martialia cum cortice No. 44. conducunt, uti et aquae minerales. Capitis perſpiratio promovenda, non anxie auctis ejus tegminibus, a quibus potius augeri malum certum eſt, ſed ſenſim eadem minuendo. Caput primo tegendum cucuphis et epithematibus ſiccis. No. 43, dein et frigida lavandum quotidie, quo uſu ſemel cum prudentia incepto aere ſatis calido, ad vitae finem nulla habita ratione ad anni tempus, aërisve tempeſtatem inſiſtendum, capite ſubinde tonſo aqua frigida multa perfundere, idem expedit; ſecundum CELSUM ſpongiam concavam imponere ſubinde

aqua

aqua frigida expreſſam. Epithemata frigida valent quoque in cephalalgia tanquam febrium ſymptomate fronti adhibita ex aceto roſaceo.

§. 212. In cephalea ſyphylitica conducunt et mercurialia externe et interne. In rheumatica etiam non male audiunt; commendatur vero in hac praeſertim gummi guayacum. Sed de hiſce alibi ſpecialiter. Laudanum liquidum SYDENHAMI cum liquore anodyno minerali, HOFFMANNI aqua ad guttulas XV palliativum eſt remedium in ſummis doloribus. De uſu diuturno opii in cephalea ad omnia rebelli, optimum viderunt effectum et SCHELHAMMERUS & WHYTT; bonum effectum radicis valerianae depraedicant alii in haemicrania refractaria.

CAP. XXVIII.
DE OTALGIA.

§. 213.

Dolor vehemens intolerabilis fere, continuus auris internae, ſaepe delirium ſubinde et mortem inferens, otalgia dicitur. Partes auris externae affectae minorem morbi gradum conſtituunt.

§. 214. Cauſae praecipuae ſunt inflammatio, quae otitis audit, cui comitatur febris valde intenſa cum pulſu duro caeterorumque criteriorum

in-

inflammationis. Affectus rheumaticus, a quo frequenter occurrit; catarrhalis interdum; vermes haeterrogenea intrusa, uti pisa, nuclei, lapilli &c. lapsus, violentia externa, ulcus. Non nunquam excitatur ab eruptione dentium molarium; etiam ab humore seroso acri, pituitave, quando chronica admodum evadit. Parotides saepe praenuntiat, saepius & per metastasin fit in acutis.

§. 215 Ab inflammatione, periculosa est admodum ob metum delirii convulsionum, juvenibus praecipue funesta & quidem intra septem dies. Aliquando discutitur, solviturque sudoribus, urinis, haemorrhagia: crebrius ad suppurationem tendit, purisque effluxu, materiaeque serosae acris, subcruentae sanatur. Non raro haemiplegiam inducit, susurrum, & aurium tinnitum post se trahit molestum.

§. 216. Cura instituenda per sanguinis missionem, subinde repetendam, hirudines pone aures; laxantia eccoprotica repetita, vaporem lactis tepidi per infundibulum admissum. Cataplasmata emollientia, externe adhibita. Fumus Nicotianae per infundibulum acceptus commendatur, si a vermibus vesicantia ad nucham brachiave valent „ si a sero acri vel metastasi. Pro dolore leniendo & mitigando oleum amygdalarum vel lac tepidum cum gossypio auribus immissum, bonum praestat effectum. In otalgia suppurante conducit decoctum No. 46. ulcus mundetur remedio No. 47. haeterrogenea intrusa quantocius, si possibile eximenda.

CAP.



Cap. XXVIIII.
DE ODONTALGIA.

§. 217.

Inter tormenta, frequentius hominibus infesta referri meretur odontalgia, qui dolor est acerrimus valdeque subinde excrucians a substantia nervorum medullari, vel tunica nervea dentem intus investiente laesa.

§. 218. Inter praecipuas hujusce doloris causas numerantur dentium caries, dum particulae alimentorum, aërque ipse dentium cavum penetrat, substantiamque nerveam irritat. Congestio sanguinis aliorumve humorum ad dentium radices, vel et gingivas, harumve inflammatio, colliquatio scorbutica, tum et materia arthritica, rheumatica, venerea, nec non vermes in dentibus cavis nidulantes.

§. 219. Aliae praeterea dantur causae, dentium dolori producendo quam aptissimae. Aër frigidus ore hiante haustus, potusque frigidus vel et calidus dulcium nimis usus; acidorum ad dentes nimia applicatio, dum dentium nitori nimis student quidam. Oris immundities, fumi nicotianae abusus, victus salsus & acris; dentium renovatio quoque in pueris, eruptioque dentium sapientiae circa

ca vigesimum annum. Caeterum foeminae potius, quam viri, odontalgia afficiuntur, quibusdam gravidis admodum familiaris & quasi certum criterion graviditatis: per consensum fit in hystericis.

§. 220. Dolor saepissime adeo excruciat, ut febrim, vigilias, delirium, quandoque convulsiones, in junioribus praesertim, inducat. Tumor autem in genis, gingivis aut maxillis subortus dolorem sedat. Ad dentium radices & maxillae inferioris praecipue foramina, saniei subinde fit continua effluxio e dente corrupto, tuberculaque ibidem formantur fistulosa, nulla arte, nisi dentis extractione, curanda. Puerilis juvenilisque aetas prae caeteris odontalgiae patet, aetas provectior non ita eidem obnoxia, inde videmus quos in pueritia hunc dolorem acerrimum passos, in majori aetate ab eo ut plurimum immunes esse.

§. 221. Cura vario modo instituitur. In summo enim dolore, plethoricis, gingivarumque inflammatione, venae sectio inevitabilis: saepe valet gingivarum scarificatio, hirudinumque ad easdem applicatio. Leniora purgantia hic quoque bene audiunt, uti refrigerantia ac temperantia. Vesicantia etiam et hic pone aures adhibenda, et ubi materia acris serosa, arthritica, & rheumatica in causa cum dentibus integris & sanis; quando et cucuphae ex floribus chamomillae, farina fabarum cum parum camphorae genis apponenda. Affe-

ctus

ctus ſcorbuticus, venereus, de quibus dein ſeorſim, remediis propriis debellandus.

§. 222. Varia vero proponuntur, ubi dens cavernoſus, carieve exeſus; nam ſi vermes ibidem latitant, difficulter admodum ſanatur odontalgia. Decocto ſabinae in ore detento volunt quidam deſtruere ſeminium verminoſum; aceto calido alii. Dolorem mitigare ſatagimus ſubinde oleo caryophyllorum genuino, inſtillando aliquando guttulam unam vel alteram denti cavo. Interdum vero, pilula ex ſemigrano opii cum camphora eidem immiſſa. Sal amaricans anglicum ad drachmam unam aqua ſolutum in ore detinendum, commendat Heiſterus.

§. 223. Sunt, qui deſtruere tentant nervum affectum vel inſtillando olei vitrioli guttulam unam vel alteram denti cavo, vel tutius acu candenti, quo demum dens carioſus fruſtulatim cadat, interimque dentis cavum cera, plumbo, maſtiche replere curant. Ultimum remedium eſt dentis cavernoſi evulſio, ad quam enchyreiſim tamen non feſtinandum, niſi res coegit, fiſtulae timor v. c. coegit, uti et dentium renovatio in pueris ad praecedentis extractionem cogit, aliter enim res eſt dubii eventus, dentis evulſioni enim cruoris fluxio non nunquam ſupervenit ſubinde lethalis, ſaltem non facile compeſcibilis, unoque dente ſaepe evulſo malum tranſit in alium vicinum vel e regione oppoſitum.

§. 224.

§. 224. De dentium extractione chirurgi consulendi. Caeterum monendum est, dentem non evellendum eo tempore, quo caput dolet, tumor genarum, gingivarum maximus immanisque adest dolor; inde enim irritatio & congestio major timenda. Dente evulso acetum vel vinum rubrum frigidum in ore detinendum ad sistendam haemorrhagiam. Dein dentes firmandi tinctura gummi laccae, leniter gingivas ea fricando. Sordes & ciborum particulae quotidie statim a cibo eximendae osque frigida eluendum.

Cap. XXX.
DE DENTITIONE DIFFICILI.

§. 225.

Odontalgiae dentitio molesta ac dolorosa valde infantum haud prorsus dissimilis, cujus tempus ac ordo non aeque ubique aequalis: ut plurimum vero a sexto aetatis mense ad secundum, immo et ad quartum usque annum dentitionis perficitur negotium.

§. 226. Septimo autem circiter mense aliquando serius, uti in debilibus & morbosis praecipue prodeunt omnium primo incisores, modo in superiori maxilla, modo in inferiori prius, non autem octo omnes simul; saepe etenim post eruptionem

nem duorum incisivorum sive in hac, sive in illa mandibula, unus alterve dentium molarium erumpit. Dein interposito aliquo temporis intervallo, nono scilicet mense sequuntur canini; circa annum aetatis fere, & majori quidem cum periculo occulares sic dicti procedunt. Maxillares demum seu molares successive exeunt. Circa septimum annum fit dentium renovatio, dum priores labuntur caduntve, viam facientes suppositis jamjam exituris. Aliquando et priores manent in eodem alveolo cum secundis foedo quidem spectaculo, ideo, uti capite praecedente dictum, priores extrahendi. Dentes sapientiae seu quatuor molares posteriores non nisi adultioribus erumpunt circa tertium septenarium. Novi mulierem, cui in quatuor subsequentibus puerperiis, non quidem sine molestia, talis nascebatur dens. Vidi et ante aliquot annos juvenem semel atque iterum viginti annorum natum, edentulum a nativitate, caeterum ingenio stupidum voracemque valde, neque rite voces articulantem.

§. 227. In multis infantibus absque ulla molestia saepe procedit dentium eruptio, quibusdam iterum maxime periculosa evadit, acerbissimisque stipatur symptomatibus, praecipue caninorum & occularium eruptio in pueris crassis & duras habentibus alvos. Quo tardius quoque, eo difficilius saepe procedit dentitio ob gingivarum duritiem, hinc quoque male à dentitione afficiuntur pueri,

qui potius cibis durioribus, quam lacte materno aluntur. Neque raro etiam accidit, priores dentes facilius, sequentes difficilius erumpere, praecipue in ablactatis.

§. 228. Dentitionis tempus duplex statuitur. Prius enim dens ex osse maxillari emergere nititur, quando praesertim symptomata difficilis dentitionis sequenti paragrapho recensenda fiunt, & gingiva in superficie superiori plana & alba apparet, quod stadium durat aliquando per aliquot septimanas; dein altero stadio dens ut plurimum absque sensibili molestia prodit, quod post HARRISIUM saepissime observavi.

§. 229. Dentitionis difficultas noscitur ex ploratu continuo, morositate solito majori, manuum ori immissione frequenti, inquietudine, vigiliis vel et sopore, qui et convulsionum nuncius, pavoribus cum ejulatu in somno, salivatione perpetua, papillarum mordicatione, dum ubera sugunt, diarrhoea quod inter bona, dejectionibus, viridibus, ventris torminibus, convulsionibus, insultibus epilepticis, vomitu, aphthis, oris ulcusculis, gingivarum rubedine, inflammatione, calore oris insolito febrique, tussi saepe ferina, neque raro ophthalmia & oculorum lippitudine, quae omnia saepissime excipit mors.

§. 230. Dum haec observantur in lactantibus, nutrix statim a carnibus & a vino arcenda, caete-

rum

rum infantibus alvus libera ſervanda, vel et leni laxante, vel et clyſmate. Alvus enim ſoluta ſemper dentientibus ſolamen affert magnum. Gingivae emolliendae oleo, melle, butyro inſulſo. Aliquando prodeſt, dentem fricare cum folio tabaci circa nutricis digitum obvoluto & cereviſia parum madefacto, quo ſaliva et alvus moventur. Dolores leniendi ſomnusque invitandus repetita doſi ſyrupi diacodii & in ſummo malo, non poenituit me aliquando addidiſſe guttulam unam vel alteram laudani liquidi SYDENHAMI ſingulis doſibus ſyrupi diacodii. Convulſiones a dentitione oriundas ſpirit. C. C. tribus vel quatuor guttulis, laudani liquidi guttula una ex ſyrupo papaveris rhoeados ſedari, ſaepius poſt SYDENHAMUM, BOERHAVIUM, SCHACHTque compertum habeo; et hic venae ſectionem interdum valere, probat experientia, nec non hirudinum applicationem infra utramque aurem. Gingivarum inciſio, quam quidam ſuadent, incerta atque dubia mihi admodum videtur, neque inſtituenda, niſi ubi chirurgo perito perſuaſum, ab inciſione dentem mox erupturum: aliter enim verba VAN SWIETEN mea faciens, „diuturno artis uſu edoctus affirmo, ſectio„ne hac raro opus eſſe, etiam in difficiliori dentitione.„



CAP. XXXI.
DE PLEURODYNIA.

§. 231.

A ſuperiori ad medium deſcendimus ventrem, acturus de affectu ſeu dolore acuto plus minusve pungente in pectore, qui ſubinde a ſterno ad dorſum extenditur, neque a pleuritico multum abludit, niſi quod inflammatio abeſt.

§. 232. Varias agnoſcit cauſas, plethoram nempe, menſtruationem ingruentem, flatus, ſpasmos, materiem rheumaticam, ſcorbuticam, arthriticam, veneream; praeter varias pectoris affectiones, vomicam ſcilicet, aneurisma, diſpoſitionem ad haemoptoen. Aliquando verae pleuritidi ſuccedit chronicus; a vermibus familiaris eſt pueris, non raro a potu frigido, fructibus crudis excitatur.

§. 233. Tranſitorius ut plurimum eſt & vagus, ſaepe revertens; in pectoris vitiis chronicus continuusque fere. Si a vermibus, tuſſis ſubinde vexat cum ſputis ſanguinolentis, difficilique reſpiratione & febri; quae raro contingunt in caeteris ſpeciebus. Pulſus durus ſaepe obſervatur, dum a ſpaſmis oritur.

§. 234. In plethora, dolore vehementi pulſuque duro venae ſectio ſemper utilis & neceſſaria.

ria. Medicamenta hic optima temperantia, leviter camphorata, inunctiones lateris affecti abdominisque cum oleo chamomillae cocto, addita tertia parte spiritus vini camphorati in verminosis bonum praestitit mihi saepius effectum, non neglectis anthelminticis, ubi febris nulla. Pleurodyne alios morbos pro causa agnoscens non curatur, nisi prioribus curatis. In pleurodynia hysterica, spasmodica flatulenta, ad carminantia anodyna confugiendum, qualia praecipue laudo liquorem anodynum mineralem HOFFMANNI cum laudano liquidi SYDENHAMI. Externe multum laudatur in hoc affectu oleum seu linimentum volatile.

CAP. XXXII.

DE CARDIALGIA.

§. 235.

Ventriculi ardor, morsus dolorve plus minus vehemens, si circa praecordia ejus orificium tenet superius, quod cardia audit, cardialgia seu cardiogmus, quod perperam per cordis morbum a quibusdam exponitur: si vero fundum ventriculi magis occupat gastrodynia vocatur.

§. 236. Varia adsunt symptomata in hoc affectu, pro varietate causarum, anxietas nempe, fastidium,

ſtidium, nauſea, vomitus, qui et ſaepius abeſt; ructus foetidi, acidi; ventriculi pondus, diſtenſio, inflatio. A bilis enim copia ejusve acrimonia oritur, cardiam ſtimulante & ad ſpasmodicam cogente conſtrictionem: ab acido aliisve acribus; a flatibus, vermibusque, ab extraneis & peregrinis deglutitis, quae a viribus naturae domari haud poſſunt; ab alimentis duris indigeſtis horumve nimia quantitate; a veneno arſenicali, medicamentoque draſtico ſive emetico, ſive purgante. Demum a materia rheumatica, arthritica, aliave metaſtaſi: a cartilagine xyphoide depreſſa cardiam premente.

§. 237. Praeterea familiaris eſt hypochondriacis, hyſtericis, & haemorrhoidariis, nec non quibusdam gravidis ob mutatam circulationem, vel et ob plethoram. Frequens quoque occurrit in initio quarundam febrium. Habitualis eſt in quibusdam debilioribus digeſtionis tempore, nec non in hiſce, qui ventriculum utcunque habent male affectum tumore vel ulcere, paralyſive, quando et idiopathica, aut ubi partes adjacentes vicinae laeſae, quando et ſympathica dicenda. Hae ultimae ſpecies raro ſi unquam curabiles.

§. 238. In caeteris cura admodum variat, dum varia cauſa variam requirit medelam. Levamen vero affert ſummum in omni cardialgia cochlear unum vel alterum olei amygdalarum dulcium recen-

centis. Dolor acutus, plethora, haemorrhoidaria diſpoſitio, menſium retentio, rheumaticus affectus, uti hypochondriaca & hyſterica paſſio, ſaepe venae ſectionem expoſtulant. In bilis copia ex ſapore oris amaro, temperamento aegri bilioſo dignoſcenda; ſi ab alimentis indigeſtis morbus originem duxerit; ex veneno; quod ex aegri relatione praecipue audiendum, tum & aliis ſignis dignoſcendum, nempe urinae ſuppreſſione, extremorum frigore, facieque collapſa cum pulſu parvo; emeticum propinandum; cave tamen, ne inflammatio adſit ventriculi, neque venenum ingeſtum aut aliena ex acribus conſtent mechanicis. Et hic etiam conducunt butyroſa & oleoſa, cum multa aqua tepida, quo acre diluatur. In ventriculo paralytico ex pondere alimentorum ventriculum indies magis magisque diſtendentium; etiam ſtimuli ratione emeticum multum valere poteſt, uti et in febribus incipientibus cum nauſea; verum enim vero ubicunque jam adeſt vomitio ſufficiens, minus neceſſaria videtur emeſis arte excitanda. Etiam in atonia manifeſta veſicans regioni epigaſtricae adhibendum, uti et in arthritica aliave metaſtaſi; nec non cucurbitulae cum multo igne, quarum applicatione ſemel in gravida, poſt repetitas venae ſectiones aliaque fruſtra tentata, cardialgiam cum vomitu continuo fere ſedavi. Multumque boni inde ſperare licere credo, ſi affectus ab cartilagine enſiformi depreſſa, quod aliquando infantibus contigiſſe, multi perhibent. In cardialgia arthritica,

hysterica praecipue commendatur mixtura ex laudano liquido cum partibus anaticis liquoris anodyni mineralis ad guttulas 30 in vehiculo aquoso ter quater de die. In rheumatica, ubi alia signa hujus morbi, commendat THOMPSON decoctum bardanae cum sp. Mindereri, nec non duo parva cochlearia seminis sinapios albi omni mane: et indusium lanneum ad transpirationem promovendam.

§. 239. Cardialgia habitualis & chronica praeprimis, quae tempore digestionis in debilioribus fit, duplici curanda modo. Etenim ipso doloris tempore valent aliquando infusa theae, coffae, herbae millefolii saturatiora: nec non hodierno more ligni quassiae vix tepida epota. Si acidum peccat ex ardore, ructibus acidis cognoscendum, conducunt ol. tartar. p. d. gt. X in vehiculo aquoso: vel et magnesiae albae parvum cochlear. Si ructus vero fuerint nidorosi rancidive, bilis praesentiam arguentes, praestant cremor tartari; elixir vitrioli acidum ad guttulas 30 datum.

§. 240. Tempore intermedio aptum erit dare leniora laxantia No. 48 in acido, & No. 49 in bilioso affectu. Demum aquae minerales acidulae in hoc, martiales vero, quales pyromontanae, in illo pathemate optimae; nec non roborandi causa in fine aliquot praebia corticis peruviani danda; in cardialgia flatulenta, qualis frequens hypochondriacis, bonos vidi saepissime effectus ex mix-

mixturis No. 50 & 51. Cardialgia a vermibus in ventriculo, difficilis eſt cognitu & non niſi per vermes vomitu rejectos, aut poſt mortem, cadaveris obductione patet. Remediis vero propriis, de quibus alibi, curari poteſt.

§. 241. Qui cardialgiae habituali manent obnoxii, diaeta utantur tenui & quidem varia pro varietate acris dominantis; ergo acido vexatis conducunt juſcula ex carne vitulina, carnesque albae, molles, cereviſia bruna amara. Vitanda autem veniunt cereviſia tenuis; dulcis; lacticinia, caſeus, vinum acidaque omnia, fructusque tales, uti pruna, ceraſa, poma, uvae paſſae; mel, quae omnia bene audiunt in bilioſa aegritudine, ubi vero cum primis noxia oleoſa & pinguia. Omnibus autem aeque pariterque nocent piſa, fabae, braſſica, fumo indurata quaeque & potus tepidi, nimia copia hauſti, uti fuſius dicetur articulo de colica flatulenta.

Cap. XXXIII.

DE COLICIS VARIIS.

§. 242.

Colica dicitur dolor inteſtinorum praeſertimque coli, adeo vehemens, ut non niſi cum ejulatu exprimere liceat, ſaepeque ab ejus violen-

tia in ventrem cogantur decumbere aegri. Hic dolor nunc fixus in puncto quodam, in regione umbilicali, nunc per totum extenditur abdomen & summam semper post se trahit debilitatem. Alvus ut plurimum clausa diu manet in hoc affectu. Febris cum suo satellitio, si colicam inflammatoriam excipias, raro adest.

§. 243. Variae dantur colicarum species, scilicet stercorosa, pituitosa vel humoralis; biliosa, hysterica, haemorrhoidalis, flatulenta, spasmodica, saturnina, pictonum & arthritica; nephritica, de qua peculiari capitulo; tum et inflammatoria, de qua jam actum capite de enteritide. Distinctio harum omnium specierum suis signis dignoscenda quam maxime necessaria, si prognosin & curam recte instituere velimus.

§. 244. Colica stercorea cognoscitur ex aegri relatione nempe, quod alvum per aliquot dies non dejecerit, ex vita ejus forsan sedentaria, ex alimentis duris indigestis: inde enim excrementa indurantur, scybala formantur exsucca. A corporibus duris ossibus nucleisve deglutitis, quibus via foecibus expellendis intercluditur; quaeque tactu saepius abdomen contrectando deteguntur. Dolor in hac specie raro lancinans aut vehemens, praesertim quiescente aegro. Adsunt vero vomitiones, pulsus non febrilis, urina emittitur crassa; hoc criterio praeprimis distinguitur

guitur omnis colica a nephritica, in qua ſaltem in initio urina eſt clara & limpida.

§. 245. Colica humoralis ſeu pituitoſa familiaris eſt hypochondriacis & debilioribus & quidem ſatis pertinax. Oritur enim ex pituita vitrea, aliisve crudis viſcidisque inteſtinorum quendam diſtendentibus locum, doloremque fixum ibidem perterebrantem inducentibus, inde et ab aegri conſtitutione diagnoſis.

§. 246. Colica biliofa vel ex copia, vel potius ex bilis gignitur acrimonia, maxime aeſtate infeſtat; viris, adoleſcentibus, calidis, cholericis frequens. Vomitus adſunt bilioſi, non autem ex hiſce ſolum ſineque caeteris ſymptomatibus ſemper de colicae bilioſae praeſentia concludendum. Sitis vexat inexplebilis, non nullis alvus obſtructa, non nullis iterum fluxa foetensve; haec melior illa; de ſapore queruntur amaro, de cardialgia, ſingultu; ſaepe torquentur ſpasmis & pedum contractionibus, iterum quandoque ſpectabilem ſatis habet comitem, urina eſt rufa aut crocea.

§. 247. Bilioſae hyſterica analoga in foeminis colica, in hac ſaepiſſime ſupprimitur urina, ut colicam mentiatur nephriticam; vel et limpida admodum emittitur. Dolor ventris acutus omnem fugit attactum. Non raro a doloris vehementia ſequitur lypothymia; hyſtericis & nervorum mobilitate praeditis propria fere.

§. 248.

§. 248. Haemorrhoidalis colica fit ex congestione ſanguinis circa viſcera abdominalia, hujusve lenteſcentia in ſyſtemate venae portae, indeque plethorica quibusdam audit: ſaepiſſime hac afficiuntur foeminae, menſium lochiorumve retentione laborantes, vel viri haemorrhoidum fluxui ſubjecti. Praecipue vero ex dolore continuo in inteſtino recto prope os ſacrum tenesmoque dignoſcitur.

§. 249. In colica flatulenta prae caeteris dolor occupat coli tractum, qui et a compreſſione lenitur externa; borborygmi audiuntur in infimo ventre, ructus adſunt, levamen afferentes, abdomen inaequaliter tumet & tumor ſaepe locum mutat, adeoque ſaepius diſtenduntur inteſtina, ut in eorundem abeat paralyſin morbus. Aggreditur hypochondriacos, ſedentarios, gravidas, alimentis crudis farinaceis, leguminibus, cepis alliisve, cereviſiaque fermentante utentes.

§. 250. Spasmodica ſeu convulſiva, ſaturnina & colica Pictonum vel Pictorum & quibusdam Rachialgia dicta, gradu vario pro cauſarum varietate tantum differre videntur. Dolor hic eſt talis, ſpasmodicaque conſtrictio tanta, ut totum perſaepe ventrem infimum ab inguine usque ad coſtas ſpurias et cartilagineon Xyphoideam convellat, umbilicum introrſum trahat, verſusque ſpinam dorſi ita conſtringatur, ut ſuffocationis periculum afferre videatur; anus quoque ſpasmo

ſintus

intus sic retrahitur, ut ne flatus quidem emittat, clysmave facile admittat.

§. 251. Causae hujus diri affectus quaerendae in spirituosorum abusu, Punch, pomacei, musti, uvarum immaturarum, fructuum horreorum, vinique rubri potus, quod lythargiro mangonisatur, usuve remediorum saturninorum, uti quibusdam medentium familiare, in curanda gonorrhoea, leucorrhoeave mulierum: inde et metalli fossoribus, pictoribus, aliisve, qui plumbata, saturnina, pigmentaque tractant familiaris admodum, ne dicam propria. Favent praeterea colicae gignendae animi pathemata, & prae caeteris ira, potus frigidus corpore aestuante, incessus pedibus nudis super pavimenta lapidea, hepar obstructum scirrhosum cumictero; metaptosis a febri intermittente intempestive curata. Tum et frequentissima causa Hernia. Colica pictonum a materia arthritica ad intestina delapsa & á Strack graphice descripta, aliquoties a me visa & sanata est.

§. 252. Colicas excipiunt effectus salutares, lethales cito, chronicive. Haemorrhoidalis fluxu sanguinis restituto sanatur. Diarrhoea fere semper boni ominis est, quae colicam sequitur. E contra malum, & mortem portendit in biliosa speciatim vigilia, sudores frigidi, singultus, delirium, convulsiones, animi deliquia, extremorum frigus, syncope: in choleram vel febrim abit

abit putridam non rite tractata. Saepe a colica fiunt tympanites, ascites, hydrops; a colica pictonum paralysis saepissime sequitur, nec non coecitas, atrophia & exsiccatio. Arthritis inde sequens bona est morbi translatio. Spirituosis nimis imprudenter lacessita quaevis colica in inflammationem & gangraenam transit.

§. 253. Antequam curam aggrediar colicarum, diaeta prophylactica quidem colicae obnoxiis praescribenda. Abstineant autem in victu ab esu pisorum, lentium, fabarum, brassicarum, raparum, raphani rusticani, nigri, ostrearum, mytulorum, ovorum durorum, laganorum ex hisce confectorum, pinguium, butyraceorum nimis, carnium duriorum vel fumo siccatarum, verbo vitetur omnino polyphagia. Lacticinia etiam non ubique tuta, praesertim stomacho debiliori donatis. Potus haud rite fermentati, chocolata damnantur. Coffae infusum non omnino inutile, modice sumptum digestionis tempore. Aromata & condimenta prudenter usurpata commendantur. In colicae pictonum prophylaxim laudat DE HAEN esum cibi pinguis ante laboris accessum in fodinis. Pedes calidi serventur.

§. 254. Omnis colica, si nimis torquet, sanguinis missione & quidem e brachio aggredienda, praecipue vero necessaria censetur in colica biliosa, plethorica seu haemorrhoidali & saturnina; in hac prae caeteris laudatur quoque vesicans latum abdomi-

domini impositum, in arthritica et pedibus haec imponenda; nec non cucurbitularum cum multa flamma applicatio. Caeterum non spernenda sunt cataplasmata ex mica panis, floribus sambuci & chamomillae lacti incoctis. Quibusdam levamen attulere, balnea, semicupia tepida saepius repetita; aliis iterum emplastrum Galbani crocatum toti spinae tractui & abdomini appositum: aliis vesica lacte bubulo calido dolenti applicita loco.

§. 255. Vomitum dein suadent plurimi in quavis colica; atqui quia saepius aequo plus adsunt vomitiones repetitae, subinde ab acri drastico, veneno excitatae, & metum inflammationis inducentes, tutius videtur clysmate emolliente, oleoso, cui sal gemmae addendum, alvum sollicitare in stercorea, praesertim humorali & biliosa. In colica hysterica summum affert solamen solutio assae foetidae binarum drachmarum additis 60 guttulis laudani liquidi per clysma adhibita.

§. 256. Leniora & continuata cathartica ab omnibus probantur, perfecta enim non consequitur curatio, nisi scybalis, durisque alienis per alvum evacuatis. In hystericis non tanta requiritur evacuatio alvina, atqui saepe cum ex doloris pertinacia, spasmodica intestinorum constrictura, alvus vix ne vix quidem optimis respondeat remediis, opium quidam miscendo catharticis hoc incommodi emendare putant; raro vero quid boni inde vidi; praevalet enim opii vis in compescenda alvo: quod-

quodſi vero alternatim propinetur purgans & narcoticum, certius eventum deſideratum conſequutum fuiſſe ſaepius vidi.

§. 257. Laxantia autem quod attinet, in colica ſtercorea valent rhabarbarum cum magneſia alba. Aqua laxativa vienenſis cum ſale polychreſto. Laudantur etiam pilulae ex ſapone, rhoeo cum aloë, mercurio in bilioſa praeſertim. Cordi vero magis eſt PRINGLIO ſal catharticum amarum. Aluminis pulvis ad grana 15 prophylacticon & curativum remedium commendatur a PERCIVAL ter vel quater de die cum gummi arabico & ſpermate ceti in colice pictonum. Nihil vero melius hic et in aliis venenis, quamvis ignotis, valere quam aqua, oleum copioſiſſime et interne et externe ore anove ingeſta, certo certius eſt.

§. 258. Caetera vero medicamenta, quae depraedicantur in affectibus colicis, ſunt opiata in arthritica, hyſterica ſpasmodica prae caeteris. In haemorrhoidali poſt evacuationes neceſſarias martialia liquida vel ſolida No. 52, tum et aquae pyromontanae in uſum vocanda. In flatulenta bonum praeſtant effectum carminantia No. 53 & 54. Infuſum ſaturatum quoque ſeminum quatuor calidorum thei forma, bis vel ter de die hauſtum, remedium eſt haud infimi ſubſellii; optimum etiam carminans eſt eſſentia milleſolii cum ſpiritu ſalis armoniaci aniſato ad guttulas 60 in vehiculo. Equitatio neceſſaria putatur a PITCARNIO poſt

SYDEN-

SYDENHAMUM in colica biliofa. STRAK laudat decocta lignorum & antimonium crudum in arthritica. Ad paralyfin poft colicam depraedicatur tinctura guagaci volatilis tali dofi, qua alvus libera fervetur corpusque probe expurgetur.

CAP. XXXIV.
DE VENTRIS TORMINIBUS.

§. 259.

Datur colicae fpecies infantum propria a lacte cafeofo, coagulato acidove facto originem ducens. Ejus diagnofis petenda ex inquietudine infolita, ejulatu, ploratuve continuo: mire torquentur pufiones. Calcitrant, rident in fomno, avidiffime ubera fugunt, moxque iterum ex ore demittunt, alvus nunc adftricta, nunc vero foluta vel fluxa, foeces dejiciuntur virides, acidum fpirantes, aliquando non nifi exficcatae in linteaminibus tali apparent tinctae colore, abdomen flatibus nimis diftenditur.

§. 260. Talis ftatus diu durans aut faepius revertens, convulfionum, epilepfiae mortisve metum incutit; aliquando herniam producit; vigiliasque moleftas aeque nutrici atque infanti. Clysma ex aqua, oleo cum faccharo hic lenimen affert, abdominis inunctio oleo camphorato prodeft. Abforbentia caute exhibeantur; prae

 cae-

caeteris laudo magnesiam cum rheo, vel pulverem No. 55 solaminis infantum nomine notum. Haud vulgarem effectum vidi saepissime ex partibus anaticis animi rhei & aquae laxativae vienensis, addita parte octava eleossachari foeniculi parva cochlearia duo omni bihorio exhibendo. Quin et prophylactice subinde hoc pulvere quibusdam infantibus exhibito juvamini fuisse, multa experientia compertum habeo.

Cap. XXXV.
DE CHOLERA MORBO.

§. 261.

Violenta evacuatio sursum & deorsum cum dirissimis ventris cruciatibus tantaque virium prostratione, ut 24 horarum spatio fere exhaustus maneat aeger, dicitur a medicis cholera morbus. Evacuationes numeratae fuerunt quibusdam ultra centum inter paucas horas. Si morbus ergo per aliquot durat dies, major spes adest salutis.

§. 262. Adsunt praeter dicta quoque symptomata alia, sitis, febris cum pulsu forti in initio, qui sensim decrescit, parvus celerque fit; accedunt singultus, convulsiones artuumque contracturae, urinae suppressio, animi deliquium, extremorum frigus, facies pallida, cadaverosa, anxietas summa, mors. Circa finem aestatis mense

ſe Auguſto utplurimum epidemica habetur, noſtris in oris rara, calidiorum climatum accolis frequens.

§. 263. Cauſa proxima conſiſtere videtur in ſtrictura ſpasmodica totius canalis inteſtinalis, perturbatoque motu periſtaltico, quo et vomitus & ſeceſſus excitantur; ſtimulante materia acri bilioſa, corrupta. Cui producendae, ſaburra primarum viarum, eſculenta pinguia, oleoſa, rancida, butyracea frixa, carnes, ova, caſeus vetus, acris, aromatum abuſus, cucumerum, melonum, caeterorumque fructuum horreorum eſus nimius; muſti, cereviſiae non rite fermentatae potus; draſtica, emetica & purgantia, venena; irae commotio, ſoli & aeris humiditas, corporis aeſtuantis ſubita refrigeratio, perſpiratio impedita inde, prae caeteris apta cenſentur.

§. 264. In hoc morbo curando neque emeſis, neque catharſis commendantur. Omnes in eo ſunt, ut acris diluatur bilis, copia liquidi juris pulli, vitulini dilutioris; decocti avenacei, ſeri lactis, demulceturve ſolutione aquoſa gummi arabici, mucilagine radicis ſalab; emulſione ex amygdalis dulcibus, hydrogalae potu. Quidam aquam tepidam ſimplicem, quidam iterum ex ſuffragio Aretaei frigidae cyathos duos aut tres laudant, eo ſcopo ſcilicet, ut adſtringatur venter, retrogradus humorum curſus cohibeatur atque ſtomachus ardens refrigeretur.

§. 265. Vomitus compeſcendus antemetico Riverii. Quo ceſſante rhabarbarum cum magneſia alba propinandum. Venae ſectio ſubinde celebrari poteſt in initio, dum vires adhuc vigent, pulſu ſcil. exiſtente forti ac febrili. Balnea tepida ſaepius applicanda, clyſmata oleoſa emollientia aliquoties injicienda. Cataplasmatibus mollibus abdomini applicandis dolores leniendi. Linimento volatili ventris diſtentio minuenda. Pro leniendo dolore exhiberi volunt quidam radicis columbae grana decem in aquae cinamomi uncia, vel mixturam No. 56. In fine morbi nempe poſt aliquot dies valent roborandi gratia corticis peruviani aliquot praebia de die, tum et aquae ſelteranae cum lacte uſus.

Cap. XXXVI.
DE DYSENTERIA.

§. 266.

Repetita admodum non copioſa, ſed torminoſa valde alvina dejectio, mucida, bilioſa ſanguinolenta, dyſenteria audit. Epidemica eſt utplurimum circa finem aeſtatis, ſeu initium autumni.

§. 267. Diſtinguenda quidem venit ab illa individuali, quae ſubinde exoritur ab inteſtinis aliisque viſceribus abdominalibus, utcunque male affectis,

fectis, fcirrhofis fcil. Cancrofis, ulceratis, vel etiam a metaftafi, nec non a diarrhoea cruenta, quae fubinde dentitionis tempore infantes invadit; a purgantibus drafticis, remediis mercurialibus, aliquando fporadica feu potius individualis exurgit.

§. 268. Dyfenteria autem, de qua hic praecipue agitur, eft contagiofa, exhalatione excrementorum putridorum, aerem replentium, & praecipue, dum fani exonerandae alvo eandem adeunt latrinam; tum et lacte nutricum aliove modo propagatur. Caeterum caufa proxima videtur effe acrimoniam caufticam putridamque bilis.

§. 269. Caufae remotiores funt aëris calor immodicus, fubita corporis refrigeratio in aere humido, calido & nocturno tempore, diurno frigidiori. Aquae corruptae potus, carnium pifciumve fubputridorum, fructuumque immaturorum, panisque ex mucido tritico parati imprudens efus.

§. 270. Morbus incipit horripilatione vomituque biliofo, qui tamen non femper ubique adeft. Saepiffime praecedit laffitudo, tenesmus feu frequens & irritus conatus defidendi, quod fymptoma utplurimum eft comes & pediffequum dyfenteriae. Primis diebus autem frequenter dyfenteria non multum abludit a fimplici diarrhoea: dein ejectiones fiunt parciores fanguinolentae, putredinem jam arguentes: cruciatus majores vel

minores pro diverſitate gradus inteſtinorum inflammationis aut bilis acrimonia adſunt; ſitis vexat, pulſus eſt parvus et debilis, niſi ſtatus inflammationis maximus, quod inter rariora tamen. Lingua fit ſordida, meteorismus ventrisque inflatio, neque raro ſingultus cum urina ſtrangurioſa adſunt.

§. 271. Citius vel ſerius terminatur morbus, ſive in ſanitatem, ſive in mortem, ſive in morbum chronicum, hydropem ſc. artuum dolores, contracturasve. Spatio nempe ſeptem quatuordecim dierum vel aliquot ſeptimanarum; gangraena necat inteſtinorum, quam praeſagire licet ex doloris ſine cauſa ſubito ceſſatione, manentibus praeſertim nauſea & ſingultu, pulſu intermittente, alvina excretione invite prodeunte, & quidem ſumme foetente, vel et prorſus ceſſante, accedentibus convulſionibus, tendinum ſubſultibus, delirio & frigore extremorum. Dyſenteria intempeſtive nimis adſtringentibus, aromaticis ſpirituoſisve ſuppreſſa; graviſſima damna & periculum mortis inducit. Si diutius protrahitur, tunicam villoſam mucoſamve ab inteſtinis ſeparat, & ani procidentiam plerumque procreat, et ſub finem ſaepiſſime prodeunt Aphthae.

§. 272. Curam aggreſſurus a diaeta incipiamus, aër ergo, quo aegri decumbunt, omni arte purus ſervandus, nempe aceto inſperſo ſuper pavimentum & ante lectum aliquoties de die & praecipue, quoties aeger ad ſellam cogitur adire

per-

perforatam. Excipulum, quo foeces excipiuntur, ſtatim amovendum atque aceto eluendum. Renovandus quoque eſt aer feneſtris caute ſubinde apertis. Linteamina & ſtragula ſaepius mutanda, ſpurcaque quantocius removenda, in victu vitentur jura carnium, quorum uſus non niſi cautiſſime ipſis reconvaleſcentibus concedendus. Noxia quoque ſunt ova, farinacea non fermentata, aromata, vinum ejusque ſpiritus quam maxime, uti et cereviſia. Inter proficua vero habentur decoctum ex hordeo, pultes ex oryza ſagu, & ſerum lactis: nec non fructuum horreorum probe maturorum modicus uſus. Sanis diaetam acidam, vegetabilem prae caeteris commendo, alvum ſervent liberam rhabarbaro & cremore tartari; aerem infectum fugiant, frigus nocturnum, diei calorem excipiens, caute vitent, plures induendo veſtes.

§. 273. Cura ſtricte dicta inſtituitur per ſanguinis miſſionem, ſi plethora vel ſigna inflammationis, in brachio celebratam, raro vero admodum haec neceſſaria. Ergo ordinario ab emetico incipiendum, radicem ipecacuanham ad triginta grana vel minori doſi, habita ratione ad aetatem exhibendo, cum infuſo florum chamomillae more theae epoto. Radicem braſilienſem in hoc morbo utique praeſero ſolutioni tartari emetici, quia et leniter adſtringit & diaphoreſim ſaepiſſime promovet. Commendatur tamen ab aliquibus ejus ſolutio in decocto tamarindorum.

 Jam

Jam et inde concludere licet, quid ſentiam de vitro antimonii cerato, adeo celebri in dyſenteria curanda ante aliquot annos. Quodſi vero cerae ratione, quae hanc ingreditur compoſitionem, valere quid poſſe credas, ſcias, cerae quantitatem nimis parvam nihil praeſtare poſſe. Emeſis ſubinde repetenda intervallo unius diei, ſi ſymptomata manent. Si inflammationis indicia, caute cum emeſi mercandum.

§. 274. Emeſin, ubi neceſſaria, excipiat alterum remedium, ſcilicet purgans, qualia ſunt aqua laxativa vienenſis, ſal catharticum amarum, manna, quo ſatis copioſe deponatur alvus. Dein inſequentibus diebus materia biliosa ſenſim evacuanda praebiis rhabarbari unoquoque die, doſi majori, vel et tinctura rhei aquoſa cochleatim propinata. Sunt, qui morbum aggredi audeant mercurio tanquam vermibus infeſto, quos ſaepiſſime adeſſe in dyſenteria vident. Quos ego tardioris ingenii vix & ob metum ſanguinis jam ſatis in putredinem proni imitari velim.

§. 275. Demulcendae ſunt praeterea partes continuo irritatae & muco naturali orbae, quod optime fit decocto albo SYDENHAMI, cera liquefacta in lacte tepido & infuſo ſeminis Line, more theae epoto, vel et demum mucilagine radicis ſalabb No. 57. Serviunt eidem ſcopo pro teneſmo moleſto quidem hujus morbi ſymptomate leniendo clyſma No. 58. 59.

§. 276.

§. 276. Si dolores vehementes adeo, quod vigilias inducant perpetuas, ad opiata vespertinis horis confugiendum, quo noctes pacatiores reddantur, aliquo modo per minora lucida intervalla refocillentur, morbumque melius sustineant. Vesicantia abdomini imposita, bonum hic mihi praestitere subinde effectum, praesertim in dysenteria admodum populari inter Hafnienses ante aliquot annos, nulla excitata suppuratione, sed vesiculis leviter incisis, denique siccatis epidermide relicta.

§. 277. Demum et roborandi scopo varia commendantur, praecipue circa finem morbi, uti aqua calcis cum lacte. Acida mineralia & ratione putredinis corrigendae & ratione toni intestinorum restituendi. Summum antisepticon & roborans habetur in decocto corticis peruviani; adstringit vero potius decoctum symarrubae No. 60; caeterum remedium minime contemnendum.

CAP. XXXVII.
DE PROCTALGIA.

§. 278.

Tandem ad finem intestini recti seu podicis oritur saepissime dolor quidem molestus, Proctalgia dicta: Brasiliensibus ex ulcere verminoso in ano endemia fere. Verum nostras ad oras

ab aliis quam plurimis oritur causis & quidem individualibus; nempe ab inflammatione intestini recti ejusve abscessu; indeque fistula ani oriunda; a tumore cancroso, a materia quavis acri, ab haemorrhoidibus, condylomatibus venereis, ab intertrigine infantibus ob munditiem neglectam propria, ut et equitantibus diu a nimio attritu.

§. 279. Proctalgia inflammatoria venae sectione methodoque anthiphlogistica curanda. Ex abscessu, fistula ani, tumore cancroso chirurgicam exposcit artem; ex ultima hac causa raro curabilis: tentandae veniunt vires cicutae, et externe & interne adhibitae. Ubi materia acris in causa, ejus natura indaganda, remediis propriis mitiganda. Condylomata venerea mercurialibus destruenda. In affectu haemorrhoidario unguentum populeum, oleum de palma bonum praestant effectum. Quodsi dolor vehemens nimis, granum opii hisce linimentis addendum. Conducunt hic aliquando hyrudines; vapores etiam lactis tepidi, nec non cataplasmata ex semine foenu graeci, lini in cerevisia vel in lacte cocta & calide ano applicata. Ex intertrigine optime proctalgiae medetur ablutio quotidiana per frigidam, quae et in prophylaxim haemorrhoidariis & equitantibus commendare licet.

§. 280. Proctalgiam es rariori quidem causa vidi per aliquot dies persistentem et tempore al-

vinae

vinae depofitionis maxime exacerbatam, pro qua lenienda fruftra varia adhibebantur oleofa, opiata, cataplasmata, fotus, vapores aquae tepidae, donec demum fponte digito in anum miffo extraheret inde pifcis fpinam fatis craffam, quae fe deglutiffe ante aliquot feptimanas meminerat aeger.

Cap. XXXVIII.
DE LITHIASI RENALI ET CYSTICA.

§. 281.

Materies duritie a lapidea non multum abludens, friabilis tamen nulla in corporis parte aliquando non inventa, fed praecipue in fyftemate biliofo & urinario concrefcibilis calculus audit medicis, morbosque inducit iisdem dictos, colicam nephriticam, nephritidem calculofam, malum nephriticum, nephralgiam, paffionem nephriticam, fi in renibus; calculum veficae vel et fimpliciter calculum, fi in vefica urinaria invenitur.

§. 282. Varia lithiafis genefi originem dare poffunt in viis urinariis, dum praefertim urina prae omnibus humanis humoribus, materia calcarea tartareave fcatet; nempe difpofitio hereditा-

ditaria, nihil enim certius eſt, quam calculoſos creari calculoſis eſſeque in prole patrum virtutem abireque in natos cum ſemine morbum. Aetas juvenilis & ſenilis; verum pueri ſaepius calculo veſicae, ſenes autem nephritide ſeu calculo renum frequentius afficiuntur. Labes arthritica, miram dari convenientiam inter arthritidem & calculum ſtatuunt omnes, ex una eademque materia tartarea generari utrumque credunt morbum. Si quis vero deſiderat doctam de lithiaſis geneſi et theoriam, ſpeciatim adeat van SWIETEN Tom. V. commentar. in aphoriſmis BOERHAVIANIS.

§. 283. Nephritidi calculoſae in actum ducendae favent diſpoſitio plethorica, habitus laxior, vita ſedentaria, haemorrhoides; vehemens corporis motus diutius protractus, equitatio, durior ac diuturna vectura, terror, ira, aliique triſtes animi affectus, venus immodica, decubitus in dorſum, diuturnior in unum latus, delicatior ſuper ſtragula molliora, praeprimis e plumis confecta, ſeſſio longior cum incurvato in anteriora corpore, tuſſis, ſternutatio frequens, cathartica fortiora propinata vel et diuretica, uti et aſparagorum nimis eſus, lumborumque refrigeratio. Infantes vero diſponit ad lithiaſin faſciarum ab incunabulis nimia conſtrictio, prava et cruda diaeta, unde praeprimis pauperum aggreditur infantes, qui et non nunquam peſſimo more vel metu ſeverioris praeceptoris diutius, quam par eſt, urinam retinere ſolent, quod et adultis

ali-

aliquando familiare in circulis amicorum praepoſterae urbanitatis cauſa, hiſtoria TYCHONIS DE BRAHE ſatis nota eſt.

§. 284. Morbum quidem et ſine damno & ſine indicio ullo ipſius praeſentiae diu latere poſſe, teſtantur exempla: calculi grandiores quidem per plures interdum annos feruntur, non niſi enim a ſede ſua dimotus excruciat calculus, inde conſtitit plurimos ex cadaverum inſpectione, calculo laboraſſe, de cujus praeſentia in vita nemo ſomniaverat quidem: e contra alios, qui a medicis nubem pro Junone ſaepe captantibus, pro calculoſis, dum viverent, habiti fuere; nihil ſimile paſſos fuiſſe, morte compertum eſt.

§. 285. Non igitur contemnenda veniunt ſigna, quibus de calculi praeſentia ſive in renibus, ſive in veſica certiores fiunt medentes. Calculi renalis autem praecipua indicia, dolor fixus lumborum plus minus auctus, prout calculus anguloſus vel obtuſus fuerit; qui quam maxime diſtinguitur a nephritide ſeu vera renum inflammatione, quod nempe febris abſit initio utique: inflexibilitas ſpinae dorſi, teſticuli, lateris affecti retractio, ſtuporque foemoris ejusdem lateris. Notandum etiam, doloris exacerbationem poſt cibum, colicam nephriticam ab alia quavis colica diſtinguere. Caeterum adſunt nauſea, vomitus, dyſuria, iſchuria, & praeſertim urina emittitur in initio limpida, clara, dein arenoſa pituitoſaque.

§. 286.

§. 286. Dum calculus descensum per ureteres molitur in vesicam miros, excitat cruciatus tormentaque abnormia, dolores ex obtusis lancinantes reddit, tormina ventris colicam aemulantia creat, cum alvi pertinacissima obstructione. Primaque vice lapillus parvus plus producit molestiae, quam calculi majores in posterum dilatatis sensim viis. Calculo autem in vesicam devoluto, remittunt subito omnes dolores.

§. 287. Non vero hinc finis malorum, nam si non e vesica brevi expellitur lapillus, sensim mole augetur, saepissimeque magnam excrescit in molem lamellatim concretus. Immo et aliquando vesicae adnascitur & tanquam in capsula continetur. Quodsi e quacunque occasione lapis in vesica contentus movetur, sequentia parit incommoda, scilicet difficulter redditur urina, guttatim invite nec sine acri stimulo exit, arenulis sabulone, sanguine materiave purulenta, scatens praecipue post motum super strata lapidea, urinae fluentis subita fit saepius retentio graveolentem deponit mucum, aegro supine decumbente facillime emittitur. Ponderis praeterea adest gravitatisque sensus ad perineum, molestissimus quidem alvi dejectionis tempore; titillatio in glande penisque involuntaria erectio; pruritum praecipiunt foeminae in pudendis. Digito in vulvam aut in anum immisso, calculus sentitur. Cruribus divaricatis aeger incedit, mentulam assidue contrectat. Desidendi voluntas, mictioni comi-

mitatur. Inter evidentiora autem habenda calculorum antea per urinam excretio, ſabulonis excretio, & cruſtae tartáreae ad matulam urina frigeſacta non eſt ſignum calculi.

§. 288. Neque tandem reticenda exploratio per catheterem, quae chirurgis praecipue incumbit tentanda in calculo veſicae majori: de cujusve praeſentia certius determinant ex ſono per fiſtulam in calculum incidentem edito; fallit vero ſaepiſſime exploratio catheterismo, dum lapis tunicatus, veſicaeve accretus; dum tumores adſunt praeternaturales, vel in ipſa veſica, vel in partibus vicinis. Caute ergo procedendum, antequam quid de calculorum extractione per artem ſtatuatur chirurgicam. Atqui mei non eſt, de lithotomia vel de pertinentibus ad hanc operationem agere, niſi quod obiter dicam, viros potius quam foeminas huic operationi obnoxios manere, hae enim rarius quam hi calculoſis afficiuntur affectibus, faciliusque praeterea ob viarum brevitatem laxitatemque calculorum fit extractio & quidem ſine ſectione.

§. 289. Reſtat autem, ut de cura medica breviter agamus, quae quidem duplex eſt in diro hoc morbo, una ſcilicet in paroxyſmo, altera extra eum vel lucidis intervallis. In paroxyſmo autem dolores leniendi, ſpasmi ſolvendi, calculus ex anguſtiis in latiora promovendus, ne iſchuria totalis enata, convulſionibus obortis, cum ſingultu deli-

delirio, extremorumve frigore, morbus necem inferat; vel ulcere renum aut vesicae insanabili funesto demum, aliquandiu febri hectica lenta praecedente. Conducunt autem hic venae sectiones, pro re nata & ratione habita ad symptomatum vehementiam, virium constantiam, pulsuum fortitudinem subinde repetendae. Balneum tepidum seu Semicupium plurimum valet. Alvus leniter laxanda, quin et emeticum, dum calculus in ureteribus sistit, ab aliquibus laudatur. Quodsi nulla inflammationis suspicio, equidem haud improbandum videtur clysma emolliens oleosum aliquoties injicendum; & in summo dolore anodyna No. 61. Diuretica leniora No. 62 haud spernenda. Potentiora diuretica tum temporis non conceduntur, lethalem enim urinae suppressionem, veramve inflammationem inducere valent.

§. 290. Extra paroxysmum venae sectio quoque laudatur in plethoricis prophylaxeos ergo; caeterum diuretica valentiora commendantur, qualia sunt sapo venetus, aqua calcis ex ostracodermatum calce praecipue parata; millepedum succus, therebinthina cum extracto cascarillae, uva ursina, quae quidem inter optima: liquor nitri fixus et decantatissimum specificum lithontripticon virginis anglicae Stephens. Caute vero remediis alcalicis utendum; in solvendo calculo plurimi putant ob metum sanguinis corruptionis inde oriundae, atqui inrecte caeteroquin valentibus

tibus nunquam quid mali contigit mihi videre ex diuturniori usu pilularum, ex sapone veneto paratarum, aut liquoris nitri fixi, mihi in lithiasi familiaris remedii ad guttulas 40 aliquoties de die exhibiti, superbibendo infusum uvae ursi. Praeterea commendantur decoctum radicis bardanae, cicerum rubrorum, nec non mel copiose sumptum, a PRINGLE laudatum in sabulone expellendo. Spiritus nitri dulcis calculos excretos solvit; an ideo etiam in corpore delitescentes? Aquis selteranis cum lacte sua non deneganda laus.

§. 291. Demum in cura lithiaseos diaeta adornanda, & in paroxysmo, et extra eum utilis; in paroxysmo autem serum lactis, hydrogala, decocta avenacea, jura ex carne vitulina, fructus horrei, poma prunave cocta, optima censentur. Caeterum in alimentis concedi possunt radices dauci sativi juniores, asparagi modica quantitate; gallina assa; aves minores; ex fructibus melones, cerasa, ribesia, fraga, cucumeres minores; in potu valent vinum tenue aqua dilutum aut cerevisia non acris.

§. 292. Noxia vero omnino habentur & quidem extra paroxysmum, caseus, pisa, fabae, lentes, helianthemum tuberosum, farinacea haud fermentata: carnes duriores infumatae, salitae, nec non pisces tales: ova dura & similia: non improbantur subinde modice sumpta alliacea, porrum, cepae, raphanus niger, armoracia; at ne

quid nimis. In potu cerevisiae acriores, aceti nimis usus, spiritus vini, vinaque tartarea quam maxime vitanda.

Cap. XXXVIIII.
DE STRANGURIA ET DYSURIA.

§. 293.

Individuae comites vel et pedissequae sunt nephritidis verae aut inflammatoriae, uti et cystitidis nephritidisque calculosae caeterorumque circa vias urinarias affectuum, stranguria seu urinae stillicidium, dum scilicet guttatim cum summo ardore & irritis saepius conaminibus urina emittitur; vel dysuria, qua mictus pleniori rivo quidem, vel et bifurcatus cum summo dolore & stimulo fluit. Et tandem ischuria, quae totalis est urinae suppressio, quamque cum Sauvagio & Sagar ad morbos dolorificos referendam non puto.

§. 294. Stranguria & dysuria vero oriuntur saepius in haemorrhoidariis, in hystericis a strictura spasmodica, in gravidis a foetus situ vesicam comprimentis, in virginibus recens nuptis a violentia primi coitus; in senibus a debilitate vel et rigiditate partium; in his, qui gonorrhoea virulenta diu laborarunt, vel a carunculis urethram obsidentibus, vel a muco abraso, uti aliis potius placet;

cet; demum in iis, qui ulcere, tumore circa vesicae collum, prostatas urethramve afficiuntur. Fit aliquando a refrigerio, a potu cerevisiae novellae, ab acrimonia humorum, a metastasi, a miasmate scabioso, impetiginoso; a cantharidibus applicatis vel ingestis. In colicis frequens est symptoma, nec non post partum difficilem aliquando.

§. 295. Cura pro varietate causae varia admodum est; si enim ab inflammatione methodus antiphlogistica omnino necessaria; si a calculo remediis capite praecedente enarratis tractanda. Si ab haemorrhoidibus venae sectione aliisque medicamentis huic pathemati propriis curanda In hystericis antispasmodica cum laudano conducunt. In gravidis omnia diuretica cautissime vitanda & praecipue juvant situs supinus cum coxis elatioribus & abdomine propriis manibus paululum elevato. Neonuptis conducit quies & abstinentia a coitu pro tempore: tum et inunctio genitalium oleosis, quae etiam puerperis post partum difficilem commendanda. In senibus laudatur sp. sal. d. cum liquore C.C. Succin. ad aliquot guttas aliquoties de die in vehiculo aquoso. Dysuriae venereae vel a gonorrhoea oriundae medentur turundae, candelulae seu cereae ex carbaso cum cera confectis & oleo illinitis, vel et cathereticis vel digestivis, immo et mercurialibus incrustatis, quo excrescentiae absumantur & urethrae canalis dilatetur. Nec hic negligenda balsamica & therebin-

thinacea interna; atqui de hac ſpecie plura in capite de gonorrhoea. Balſamica quoque valent in ulceribus caeteris urethrae. Si a ſimplici refrigerio, valent non raro aliquot guttulae olei baccarum juniperi & inunctio perinei & hypogaſtrii cum oleo de ſcorpionibus vel de chamomilla cocta. Si a metaſtaſi, ratio eſt habenda ad morbum principem. Si a cantharidibus, optime curatur amovendo veſicantia, exhibendoque lacticinia & ſolutionem gummi arabici.

§. 296. Palliativa etiam licet inſtituere cura in ſtranguria & dyſuria a calculo majori, nempe quod algalia repellatur, quo liberior fiat via urinae fluxurae vel et cathetere ipſo urina extrahenda. Valet et haec methodus, ſi, uti aliquando fit, dyſuria oriatur a grumis ſanguinis in veſica remanentibus poſt mictum cruentum; quando etiam bonum praeſtabit effectum in ſanguine ſolvendo infuſum florum Arnicae.

CAP. XXXX.

DE PARTU DIFFICILI ET TORMINIBUS POST PARTUM.

§. 297.

Partus naturalis ſolius fere naturae ope fit, ſine artis adminiculo aut alieno auxilio: qui vero ma-

majori molimine, vehementioribus doloribus ſaepe vix perficitur ſine artis vel obſtetricantis auxilio, partus difficilis, praeternaturalis & Dyſtocia dicitur.

§. 298. Cauſae difficilioris partus vel in matre, vel in infante, & demum in obſtetrice quaerendae; aliquando omnes ſimul hae cauſae concurrere poſſunt. Aliquando minus complicatae ſunt.

§. 299. In matre autem, ſi dolores non ſatis validi ob debilem corporis conſtitutionem. Ut enim dolores ſint legitimi et genuini, oportet non ſint continui, ſed per intervalla recurrant, a lumbis oriundi, per abdominis latera pergendo verſus pubem deſcendant, cum teneſmi deprimentis quaſi ſenſu. Dolores aliquando fiunt ita vehementes, ut uterum ſpaſmodice conſtringant & partum remorentur. Non nunquam abdomen tantum occupant & ſuperiora potius, verſus lumbos ſcilicet tendunt. Hi nothi, ſpurii atque illegitimi audiunt. In hoc ſtatu venae ſectio aliquando requiritur, ſi pulſus plenus praecipue vel plethora adſit. Clyſma quoque injiciendum, ſi alvus obſtructa. Dolores nimis debiles excitandi remedio No. 63. Mira praeſtare eo poſſe, ubi nullum vitium mechanicum partum remorans, omnes teſtantur practici, & manu obſtetricis aliquando excitari debent dolores minus fortes.

§. 300. Ex matris parte remoratur ſaepe partus in primiparis annoſioribus ex duritie orificii uteri, vel et ejus anguſtia in junioribus nimis. Hic oleoſa, unguenta, vapores tepidi, ſemicupia forſan quid valere poſſunt. Dyſtociam ex vitio matris deſcribunt authores, quam pathematicam vocant, dum ex pudore, ira, timore partus difficilior vel tardior redditur. Obſtetricis facundia & adſtantium perſuaſio cum lepidis confabulationibus multum hic praeſtant.

§. 301. Caetera vitia matri tribuenda veniunt, aquae ante tempus effluxae, unde uteri ſiccitas nimia uteri haemorrhagia praevia. Hic quantocius foetus arte extrahendus. Uteri ruptura, conceptus extra uterum. Plurima genitalium vitia, vagina concreta tumore vel membrana obſtructa, ejusdem procidentia; obliquus uteri vario modo ſitus: prava pelvis forma ſive magna, ſive parva nimis vel et nimis plana. Hernia: mater gibboſa, incurvata, aſthmatica, clauda, in ſimilibus caeterisque mox enarrandis nihil poteſt medicina, ſed a perito chirurgo & embryulco auxilium quaerendum promptum.

§. 302. In infante & ſecundinis ſaepe cauſa partus difficilis reſidet, nempe ſi ſitus praepoſterus, transverſus, brachium, pes, nates, genu, manus, humeri, collum porrigens; facie ſupina in oſtium, nec non ventre tergo ſic poſitis. Foetus magnitudine excedens, capite magno hydroce-

pha-

phalo gaudens, gemelli; foetus biceps aliove modo monſtroſus, membranae foetum continentes nimis durae; vel placenta foetus excluſionem praecedens, ejusdem accretio ad uteri orificium; funiculus umbilicalis nimis brevis, circa collumve convolutus. Hinc omnia remedia interna inutilia, noxia.

§. 303. In obſtetricis ignorantia demum quaeruntur cauſae dyſtociae, dum ſpurios a genuinis doloribus diſtinguere neſcia; nec orificio uteri interno ſatis amplo ad labores cogit inutiles parturientem, quo vires ſternuntur ante legitimum partus tempus; indeque non raro mors et matris & infantis ſubſequitur.

§. 304. Foetu excluſo incumbit etiam obſtetricanti, ut ſecundinae prudenter et ſecundum artis regulas extrahat, antequam uterus claudatur; quod ſi non contingat, pilulas Becherianas quidem commendant ad earundem expulſionem promovendam, timentes alioquin inde corruptiones, inflammationes, haemorrhagiae &c. Alii iterum nihil moliri putant, operam omnino almae relinquentes naturae, praeſertim ſi utero accretae, nec inde quidquam mali metuunt.

§. 305. Solent puerperae doloribus poſt partum affici a relicta portiuncula vel tota placenta, grumis ſanguinis in utero reſtitantibus, a partus moleſtiis, lochiis non rite procedentibus, vel et

a flatibus, neglecta nempe ventris modica constrictione per fasciarum injectionem. In primipara ventris tormina post partum frequentius observantur, quod tamen non adeo certum, quin alii contrarium statuant. Remedia, quae hic valent, temperantia cum pauco opio sunt. Essentia aurantiorum cum spiritu nitri dulcis, clysma ex decocto florum chamomillae, cucuphae seu epithemata sicca ex herbis aromaticis cum camphora hic quoque laudantur.

Cap. XXXXI.

DE ARTHRITIDE ET PODAGRA.

§. 306.

Arthritis, morbus articularis dicitur dolor acutus, dilacerans, articulos occupans cum inflammatione & tumore partis a lympha depravata, viscida, acri ligamenta obsidente nervosque afficiente. Est vagus, dum nunc illud, nunc aliud aggreditur membrum; fixusve, dum unum tantum semper tenet, indeque pro varietate partis lesae varia accipit nomina; chiragra enim audit, si manus, cubitos carposve afficit; gonagra, si genua; podagra si pedes; ischias, morbus coxarius, malum ischiadicum, coxagra, si coxam, caput ossis foemoris cum osse ischio obsidet. De ultima specie

cie capite proxime ſequenti, de caeteris vero hoc capite agetur.

§. 307. Podagra ut plurimum pollicem pedis invadit, quandoque calcaneum, oſſa tarſi, ſuram aut talum. Quandoque primo unus dein alter, quandoque uterque pes ſimul dolet, dolor eſt moleſtiſſimus illi, qui ab oſſibus fractis dislocatisve fit non admodum diſſimilis, omnem fugit attactum, & quidem linteorum ſuper incumbentium pondus, immo ne cubiculi a fortiori ambulatione concuſſionem ferre valet. Senſim increſcit cum horrore, inquietudine, vigilia, jactatione aſſidua & continua membri affecti mutatione. Dein ſequitur mador, decreſcit dolor, tumor oritur & rubor, ſomnusque obrepit circa horas matutinas.

§. 308. Primus paroxyſmus brevis eſſe ſolet, dein per intervalla plus minus longa, ſed praecipue circa ver & autumnum, aerisque inſigniores mutationes redit morbus. Quo diutius intervallum, eo longior ſeveriorque inſurgit inſequens paroxyſmus; circa ſenium vergentes & jam repetitis acceſſionibus detriti minus afficiuntur et dolor cum aegritudine tantum commutari amat.

§. 309. Paroxyſmi praecurſores ſunt fere ſemper cruditates, ructus, torpores, alvi conſtipatio, febricula levis, ſudor pedum ſolitus interceptus, illacrymatio ſpontanea, urina pallida & limpida,

quaeque in ipſo paroxyſmo primo rubra colorataveve apparet; dein ſedimentum rubrum & quaſi arenulis reſertum deponit. Caeterum ſanos ſubito nec opinantes invadit media quidem nocte, in lecto tragoediam acturus §. 307 deſcriptam.

§. 310. Paroxyſmus ſaepe intra triduum, aliquando intra ſeptimanam, non raro intra duas hebdomadas cum pruritu et cutis desquammatione. Interdum jam in hoc, jam in alio vexat articulo morbus & paroxyſmum conſtituit longiorem ex parvis quaſi aut minoribus conjunctum, qui ad aliquot ſeptimanas extenditur. Partes repetitis & annoſis acceſſionibus vexatae indurantur, nodis afficiuntur, concretionibus tophaceis, cretaceis; quae tandem rumpuntur. Articuli motu privantur et vera fit anchyloſis. Saepiſſime et arthritidis calculus eſt comes, hydropsque ſequitur.

§. 311. Subinde vel male tractata, vel et in ſenio ob virium debilitatem, articulorum obrigeſcentiam transfertur materia podagrica ad viſcera, nec deponitur ad artus; indeque fiunt apoplexiae, paralyſes, deliria, convulſiones, ſi cerebrum; caecitates, ophthalmiae refractariae, ſi oculos; tuſſis, aſthma, ſuffocationes, peripneumonia, pleuritis, ſi pectus pulmonesve; nauſea, vomitus, tormina, colicae atrociſſimae, ſpaſmi, ſi abdomen petit.

§. 312.

§. 312. Diſponit ad arthriticos podagricosve affectus, aetas virilis, ſexus maſculinus, raro enim foeminas iisdem affici creditum eſt. Verum enim vero familiam novi, in qua et foeminae et viri ab anteceſſoribus podagricis haereditaria labe procreati aliquoties in anno podagram patiuntur. Divites lauteque viventes potius quam pauperes eadem plectuntur, ſapientes prae fatuis; craſſi obeſique potius quam ſtrigoſi & macilenti; frequentius autem arthritide quam podagra affecti occurrunt.

§. 313. Menſa opipara, aſparagorum, lardi, carnium ſale et fumo induratarum eſus nimius; potus vinorum acidorum, compotationes in altam noctem, pergraecationes, immodica & praematura venus, nec non animi pathemata, ira praeſertim inter cauſas remotiores praecipuas numerandae. „Bachus pater, venus mater, ira obſtetrix „arthritidis„ culpandae etiam veniunt lucubrationes nocturnae, nimia deſatigatio, exercitium vehemens, conſuetive neglectio. Morbum vero accelerant in praediſpoſitis pedum a calceis compreſſio, horum ſudatiunculae, ſubito a refrigerio repreſſae, alvi purgatio fortior. Nec reticendum, dari exempla, & per contagium podagram communicatam fuiſſe & quidem animantibus brutis. Tempeſtas pluvioſa demum quam maxime favet podagrae in actum excitandae, evacuationes conſuetae ſive naturales, ſive artificiales neglectae.

§. 314.

§. 314. Podagricis & arthriticis quam maxime diaeta commendanda tempore a paroxyſmis intermedio, lactea praecipue. Lac ſpecificon antipodagricum quibusdam ſalutatur. Victus vegetabilis prodeſt. Fructuum horreorum nimis uſus nocet: uti et ingurgitatio nimia ciborum quamvis eupeptorum. Olera, carnes teneriores pulli, gallinae, cuniculi, piſces fluviatiles commendantur. Pro potu ordinario cereviſia haud inutilis, aqua pura, hydrogala optima; vinum noxium, ſubinde vero hauſtus vini generoſioris hyſpanici, maderae haud omnino damnandus, coena ſit parca aut nulla. Exercitium quotidianum modicum pedibus ambulando, manibus inſtrumenta muſica aut alia quaevis movendo, voce legendo, equitatio in aere puro ab omnibus laudatur. Inde raro enim ruſticos & opifices podagra affici, obſervatum. Frictiones partium olim arthritide affectarum inſignem habent utilitatem cum pannis ſuffimigio aromatico imbutis. Somnus capiatur longior et ante mediam noctem, diluculo autem ſurgendum ex ſuffragio SYDENHAMI.

§. 315. Materia arthritica et eodem tempore corrigenda, ut minus laedat, tolerabiliusque fiat pathema. Incurabilis enim eſt morbus & nihil valet ars ultra, niſi ut quaedam praeſcribat ad vires ſuſtinendas paresque maneant oneri bene ferendo leviorique patientia reddendo, quo diutius absque vitae periculo regulares ſuſtineantur paroxyſmi. Huic

Huic ſcopo inſerviunt cortex peruvianus roborantium princeps in morbis chronicis; aquae minerales cum lacte epotae. Alterantia praeterea recenſent authores; decoctum lignorum No. 64 habet SYDENHAM. Uſu mercurialium externo et interno emendare materiam arthriticam alii ſatagunt. Salivatio per mercurium dulcem excitata, perque viginti dies protracta commendatur la PITCARNIO. Solutio gummi guayaci ſpirituoſa Americanis familiaris, Europaeis aliquando profuit ſudorem vel catharſim movendo, aliquando nocuit, aliquando inutilis prorſus fuit. Meliores ſucceſſus contigit mihi videre ex pilulis No. 65 ter de die ſumptis; nec non ex mercurialibus frictionibus levioribus, nunquam ad ſalivationem continuatis. Caeterum nulla ſpecificis antipodagricis fides habenda; fruſtra exhibitus fuit pulvis Ducis Portlandiae, ſive aliis Mirandulae. Fruſtra ſales alcalini fixi Alcaheſt Glauberi ſeu liquor nitri fixus, cineres geniſtae; fruſtra demum decoctum dulcamarae, pilulae de cicuta, aconito, aqua calcis, & ſi quae ſimilia. In podagra annoſa multum praeſtat, partes panno involvere laneo. Leves tenſiones a materia vaga excitatas tantum, aperto in crure curavi fonticulo. Contracturae, partium thermis, embrochis balneoque frigido curatae perhibentur; balneo tepido ſingulis diebus per tres hebdomadas continuatum artus rigidos olim flexibiles reddidi et aptos ad munera perficienda.

§. 316.

§. 316. Nihil restat autem, nisi ut adducamus ea, quae in ipso paroxysmo podagrico valere experientia comprobavit. Ergo si febris valida, pulsus plenus durus, inflammationis internae signa, non aliter vero, vena secanda est, quae ne quidem prophylactice, uti mos est, instituta probatur, valde absentibus conditionibus indicantibus. Si vero caput tendit repulsa arthritis aut pectus, quo ad artus derivetur, venae sectio necessaria; si vero ad stomachum, caute cum hac mercandum. Hirudines vero topice applicatas experiente Paulmier in se ipso et in aliis commendat de Haen.

§. 317. Laxantia leviora in paroxysmo non male interdum audiunt & quidem potius in arthriticis quam in podagricis affectibus. Clysma vero semper catharticis praeferendum. Et extra paroxysmum purgatio fortior damnatur, emetica quoque vitanda, nec imitandum hic naturae molimen, quo aliquando sponte in podagricis, retrocedenteve arthritide emesis cum aliquali cietur levamine. Mitiora sudorifera, temperantia, nec non diaeta ex jusculis carnis vitulinae dilutioribus, sero lactis tenui, magna copia epoto, & prudens admodum opii usus in summis doloribus hic optima tutaque medicina. Cave tamen ab opio topice applicato, a repellentibus, cataplasmatibus, emplastris, unguentisve; ne ab artubus interiora versus vergat morbus.

§. 318.

§. 318. Arthritis repulsa usum poscit vesicantium ad suras, verberationisque cum urtica, frictionum, inustionis cum artemisia, moxa et lino crudo, quae tamen in desuetudinem abiit. Pedes fovendi cum vino rhenano calido, quo et hausto additis ex SYDENHAMI sententia ejusdem laudani liquidi guttulis XV eripui olim podagricum ex orci faucibus, cui tempore, quo alias consueverat podagra redire, absque ulla manifesta prophasi stomachum aggrediebatur morbus cum dysuria molestissima. In simili casu aliquando et moschus desiderandum praestitit mihi effectum; nunquam vero deteriorem pertinacioremve vidi podagrae translationem, quam ad nucham; incurvati enim manent aegri per totam vitam.

CAP. XXXXII.
DE ISCHIADE SEU DOLORE CORARIO.

---

§. 319.

Non raro et arthritidis et rhematismi proles est ischias, morbus coxarius, coxagra, seu dolor vehemens, pertinax, alterutram tenens coxam prope articulum ossis foemoris scilicet, ut homo neque stare erectus, neque incedere, nisi claudicans vel decumbere aut lumbos flectere possit, nullo tumore vel rubore in parte conspicuis. Dolor

lor aliquando eſt fixus, coxam tantum occupans, vel et etiam per totum pedis tractum exporrigitur cum ejusdem torpore & formicatione, nec non cum difficultate lotii emittendi alvique deponendae.

§. 320. Alia ſpecies vero datur iſchiadis, frequentius occurrens, quam nervoſam vocant, de qua COTTUNIUS optimum conſcripſit commentarium, quaeque varias agnoſcit cauſas; nempe quodvis acre in corpore ſtabulans, et nervum iſchiadicum afficiens laedensque; virus venereum, ictus, diſtractionesque variae coxarum, luxatio, venus immodica, cubatio terrena, frigus topice admiſſum. Non raro originem debet haemorrhoidum ſuppreſſioni, menſium lochiorumve retentioni, lacti etiam repulſo, interdum et a dyſenteria intempeſtive ſuppreſſa ortum duxit.

§. 321. Eſt haec iſchias vel continua, vel intermittens, & conceſſis aliquot dierum induciis revertitur, veſpertinis horis exacerbatur dolor calore lecti, aëris, integumentorum laneorum, ſtragulorumque pondere ſaepiſſime increſcit; noctes tranſigunt aegri inſomnes ut plurimum, varios in lecto ſitus quaerentes, quo tandem defatigati obdormiunt demum. Varicibus pedum aliquando, haemorrhoidum fluxu ſaepe ſolvitur. Tranſit ſaepiſſime in paralyſin cruris & pedis affecti, vel et ejusdem atrophiam, aut perpetuam claudicationem. Abſceſſusque inde non raro formantur cum tabe univerſali et lethali a pure reſorpto.

§. 322.

§. 322. Diaeta ischiade affectis eadem sit ac podagricis et arthriticis; curam quod attinet a venae sectione incipienda in plethoricis et in sanguinis evacuationibus suppressis: haec quidem nunc in pede affecto, nunc in sano instituere licet. Hirudines ano applicandae in haemorrhoidariis. Cathartica sale amaro repetita multum valent. Clysteres quidem acriores commendati habentur, neque raro emeticis locus, si signa saburrae in primis viis collectae. Frictiones oleo frigido fiant topicae; vesicantium usus ad tertiam quartamve vicem repetitus comprobatur ab omnibus practicis, exemplo ducto ab ustione & cauteriis, HIPPOCRATI commendatis. Fonticulus in crure non infimae sortis est remedium. Electrisationis vim tentavit DE HAEN & alii bono cum successu in quibusdam, minorique cum fructu in aliis. In minori malo opem saepissime attulit spiritus ischiadicus No. 66 vel et emplastrum No. 67 Polrii dictum diu gestatum. Balnea frigida ad roborandam partem primo a dolore liberatam laudantur quam maxime. Ad interna quod spectat, opium remedium princeps tempore somni datum, dein mercurialia, solutio, mercurialis spirituosa SWITENII cum caeteris in arthritide laudata, hisce omnibus adde antimoniata No. 68 absolutamque habebis morbi curationem. Diaphoresim promovendo praecipue haec ultima juvant.

Cap. XXXXIII.
DE RHEUMATISMO.

§. 323.

Arthritidi Rheumatismus adeo cognatus, adeo analogus, ut vix a quam plurimis diſtinguantur ab invicem; dicaturque hic arthritis univerſalis. Veram vero dari diſtinctionem, putant quidem ex morbi ſede, quod arthritis nempe ligamenta articulorum potius, rheumatismus vero partes muſculoſas potius occupet. Alii quod prior plerumque ſine febri, poſterior autem ut plurimum febri ſtipetur, et quidem ex inflammatoriarum indole primis ſaltem diebus, uti patet ex cruore per venae ſectionem educto, cruſta phlogiſtica denſa tecto, unde a quibusdam ad inflammationum claſſes refertur rheumatismus. Atqui datur rheumatismus chronicus ſine febri prorſus. Videtur ergo materiam & genium utriusque morbi eſſe unum vario modo modificatum. Praeſertim cum omnia laudata in arthritide, et in rheumatismo habeant locum.

§. 324. Incipit ergo rheumatismus acutus cum febri ſatis valida, quam excipit vel ſtatim, vel inſequente die dolor acutus cum tumore omnes fere articulos invadens nunc ſimul, nunc ſeorſim ab uno ad alterum tranſiens: non ſemper vero tumor

tumor aut rubedo adſunt. Viſcera ſubinde occupat interna magno cum vitae periculo; lumbos non raro obſidet & lumbaginem creat rheumaticam primo a SYDENHAMO deſcriptam, aegerque immobilis cogitur jacere in lecto, quamdiu tali afficitur pathemate: caeterum diu vexans articulos, anchyloſin non aliter quam arthritis producit, immobilitatem & paralyſeos ſpeciem cum nodoſis tuberculis & partium diſtorſione poſt ſe trahit. In morbi acceſſu urina emittitur rubra, dein ſedimentum lateritium deponit.

§. 325. Diſponit ad hunc morbum plethora cui concomitatur acrimonia humorum, menſa lauta, potus coffae aſſiduus & ſaturatus nimis, corporis aeſtuantis primo ſubita refrigeratio in aere pluvioſo, frigido ventoſo, unde adeo familiaris Hafniae, ubi perpetuo ventus dominantur frigidi, quo perſpiratio peripherica cohibetur, autumnali praeſertim et vernali tempore. Scabies praepoſtere curata aliquando rheumatismo dedit originem. Sexus ſequior non minus quam potior eodem afficiuntur. Quin et juvenes praecipue ipſi ante pubertatis tempus, quamvis dicant authorum quidem juvenes raro admodum adoriri.

§. 326. In athleticis febrique vigente venae ſectio ad quartam vicem ſaepiſſime neceſſaria. In aliis, vel ſi febris minor, ſanguinis miſſio minus requiritur profuſa; hirudinum topica applicatio hic quoque valet. Dum autem alvi fluxus ſpontaneus,

taneus, ſemper magnum rheumaticis affert levamen, cathartica commendantur etiam repetita. Epithemata ex ſapone veneto in lacte cocto calide parti dolenti applicentur, quamque et vapori aquae tepidae exponere quoque juvat. Veſicantia optimum edunt effectum: Balnea frigida ancipitis mihi eventus videtur remedium, a quibusdam laudatum doloribus ſaevientibus, repellunt enim et lethalem, qui erat innocuus, poſſunt reddere rheumatismum. Frictiones pannis ſiccis, dolore prius evanido melius audiunt. Caeterum temperantia leniter camphorata valent medicamenta, & quidem laudabiles ſemper mihi praeſtitit effectus in morbi vigore medicamentum No. 69. quo et ſudores & alvi fluxus commode promoventur. In rheumatismo chronico aut non febrili remedia, quae in arthritide laudata habentur, adhiberi poſſunt etiam.

§. 327. Quod de doloribus oſſium fixis pulſantibus a perioſteo interno potiſſimum affecto tradidere authores, quique ab iisdem vocantur oſteocopoi; cum ut plurimum a ſpina ventoſa, acrimonia ſcorbutica ſyphilitica oriantur, ſuis titulis propriis agendum puto.



FORMULAE MEDICINALES.

No. 1.

℞. Aq. Laxativ. V. unc. I & ſemis.
Sal polycreſt. drachm. I.
M. F. hauſtus, una vice hauriendus.
vel

℞. Cremor. tartar. unc. I.
Arcan. duplicat. drachm. II.
M. F. pulv. capiat. inde.
Cochlear parvum omni bihorio.

No. 2. ℞. Ser. Lact. unc. VIII.
Mell. optim. unc. I.
Sal. gemm. unc. ſemis.
M. F. clysma tepide injiciendum.

No. 3. ℞. Nitr. depurat. gr. XV.
Stib. diaphor. illot. gr. III.
Magnes alb. gr. X.
Camphor. gr. II.
M. F. pulv. no. X.
Capiat. omni bihorio unum in vehiculo aquoſo.

No. 4. ℞. Sem. 4. frigid. maj. unc. ſemis.
Card. Mar. drachm. II.
Amygd. d. excortic unc. ſemis.
& in Decoct. hord. F. L. A. emulſ.
Cuj. colat. unc. VIII. add. camphor. gr. XX.
Mucil. gum. arabic. q. ſ.
Nitr. depurat. drachm. I.
Oxymell. ſimplic. drachm. X.
Capiantur omni bihorio. unc. II.

No. 5. ℞. Diagrid. ſulphur. gr. XV.
Et in ſ. q. Aq. meliſſ. F. L. A.
Emulſio cuj. unc. I. add
Syr. roſ. ſolut. unc. ſemis.
Aquil. alb. gr. VIII.
M. probe fiat hauſtus, una vice ſumendus. Cum autem ſaepe acido ſtabulante, in primis viis fallere expertus ſum, pulvis ſequens eidem praeferendus.

℞. Rad. Jalapp. ſcrup. I.
Reſin. ejusd. gr. VI.
Aquil. alb. gr. VIII.
Trochiſc. Alhand. gr. I.
Ol. de cedr. gt. I.
M. F. pulv. e nebula capiendus.

No. 6. ℞. Pulp. pomor. coct. q. ſ.
Album. ovi unius cum
Sacchar. albiſſ. bene conquaſſat.
Camphor. gr. X.
Croc. orient. gr. VI.
Laudan. pur. gr. I.
M. d. ſ. cataplasma in ſummo dolore oculis inflammatis adhibendum.

No. 7. ℞. Aq. ſtillat. plantag. unc. IV.
Flor. Zinc. ſcrup. I.
Sacchar. Saturn.
Camphor. aa. drachm. ſemis.
Vitriol. alb. gr. X.
M. F. colyrium, quo ſaepius de die lavetur oculus affectus.

No. 8. ℞. Ser. lact. recent. ℔. I.
Electuar. lenitiv.
Sal. gemm. aa. unc. I.
M. F. clyſma acre calide injiciendum.

No. 9.

No. 9. ℞. Ol. olivarum. unc. II.
Sp. C. C. ſuccin.
Sal. ammoniac. aquos. aa. drachm. VI.
Camphor. ſcrup. I.
M. F. Linimentum ſeu oleum volatile.

No. 10. ℞. Cort. peruv. ſel. unc. I.
Flor. chamomil. Rom. unc. II.
Coq. in ſ. q. acet. vin. ad cataplaſm. conſiſt.
d. add. camphor. drachm. I.
Inter duo linteamina collo adhibe calide renoveturque omni quadrihorio.

No. 11. ℞. Decoct. hord. ℔. I.
Mell. roſar.
Acet. optim. aa. unc. I.
Cui aliquando addendum majoris ſtimuli ergo ſemin ſinap. cochlear. I. & d. uſui gargariſma vel injectio

No. 12. ℞. Rad. alth. unc. II.
Farin. fabar. unc. I.
Sem. foenugraec. contuſ. unc. ſemis.
Coq. in ſ. q. Aq. pur. ad pult. conſiſtent.
d. add. camphor. drachm. ſemis.
F. cataplaſm. emolliens.

No. 13. ℞. Aq. calc. pp. unc. VIII.
Tinctur. myrrh. drachm. II.
M. F. gargariſma.

No. 14. ℞. Cort. peruv. ſ. unc. I.
Coq. in aq. font. ad unc. VIII.
Col. add.
Sp. vitriol. d. drachm. II.
Camphor. c. ſ. q.
Mucilag. gum. arabic. ſolut. ſcrup. I.
Syr. acetoſ. citr. unc. I.

 M. F.

M. F. Decoct. de quo cap. omni bihorio unc. II.

No. 15. ℞. Kerm. miner. gr. IV.
Stib. diaphor. ill. drachm. ſemis.
Ol. ſemin. lin recent. unc. I.
Oxymell. ſquill. unc. ſemis.
Syr. papav. erratic. unc. III.
M. F. eclegm. de quo capiat. omni bihorio cochl. majus.

No. 16. ℞. Sal. plantar.
vel tartari.
aut ciner. clavallat. unc. ſemis.
Solvat. in aq. fontan. ℔. IV.
d. capiat cochlear. maj. omni ſemihora.

No. 17. ℞. Sal. plantar. drachm. I.
Succ. citr. unc. I.
Aq. ſtill. menth. unc. III.
M. d. vitr. capiat. omni hora cochlear majus.

No. 18. ℞. Decoct. hord. unc. X.
Electuar. lenitiv.
Ol. ſemin. lin. aa. unc. II.
M. F. clyſma ſaepius de die injiciendum.

No. 19. ℞. Sal. cathartic. amar. unc. II.
Solv. in Aq. fontan. ℔. I.
Exhibeantur coch. II. omni ſemihora.

No. 20. ℞. Sal. mirabil Glaub. unc. I.
Tartar. emetic. gr. II.
Tinctur. Rh. aquoſ. unc. I. cum ſemis.
Aq. fontan. ℔. I.
Syr. roſ. ſolut. unc. II.
M. dentur cochlear. II. omni hora.

No. 21. ℞. Rad. gramin.
Taraxac.

Fol.

Fol. endiv.
Borragin. aa. unc. I.
Coq. in aq. font. ad ℔. III.
Col. add. nitr. depurat. drachm. II.
Rob ribeſior. drachm. VI.
Oxymell ſimplic. unc. I & ſemis.
Bibat, omni bihorio. unc. III. calide.

No. 22. ℞. Decoct. hord. ℔. I.
Therebinth. V. vitell.
ov. ſollut. drachm. III.
Mell. optim. unc. I.
M. F. clyſma.

No. 23. ℞. Ol. olivar. unc. II.
Amygd. d. unc. I.
Camphor. ſcrup. I.
Liquor. anod. M. H. drachm. II.
M. F. Linimentum pro inungendo hypogaſtrio in veſicae inflammatione.

No. 24. ℞. Caric. pinguium No. VI.
Rad. alth. unc. ſemis.
Flor. ſambuc. M. ſemis.
Coc. in lact. ℔. II.
Col. add. Mell. optim. unc. I.
F. gargariſma maturans in angina ſuppurata.

No. 25. ℞. Flor. roſar. rubr. M. I.
Coq. in aq. font. ad ℔. I.
Col. add. acet. vin dracm. II.
Mell. roſar. unc. II.
M. F. gargariſma mundificans conſolidansque in abſceſſu rupto.

No. 26. ℞. Farin. fabar.
foenu graec.
Sem. lin. contus aa. drach. VI.

Sapon. Venet. drach. II.
Coq. in ſ. q. lact. ſ. addend.
Ol. ſemin. lin. unc. I.
Cataplaſma emolliens maturans dolenti loco adhibendum.

No. 27. ℞. Rad. Glycyrrhiz. unc. ſemis.
Myrrh. elect. drach. II.
Balſam. copaiv. drachm. I.
Therebinth. Ven. q. ſ.
F. L. A. pil. ſingul. gr. III.
Capiant. tres quater de die in omni ſuppuratione interna, quo pus per urinas de corpore eliminetur. Superbibendo ex decocto ſequenti uncias tres ſingulis vicibus.

No. 28. ℞. Herb. agrimon. M. I.
Rad. granim.
Aſparag. aa. unc. I.
Coq. in aq. font. ad ℔. II.
Col. add. nitr. pur. drach. II.
Oxymell. ſimplic. unc. II.

No. 29. ℞. Spermat. cet. non rancid.
Vitell. ov. ſolut. drach. II.
Ol. amygd. d. recent. unc. I.
Semin. lini unc. I. cum ſemis.
Oxymell ſquillit. unc. ſemis.
Sp. vitriol. d. drachm. I.
Syr. Alth. Fern unc. III.
M. d. vitr. capiat. omni bihorio cochlear majus.

No. 30. ℞. Flor. ſambuc.
Verbaſc.
Bellid. M.
Papav. Rhead aa. M. I.

Fol.

Fol. tuſſilag. M. II.
Rad. Glycyrrhiz. unc. ſemis.
Incind. & contund. d. chart. thea bechica.
Ex cujus infuſo bibatur bis de die affatim cum vel ſine lacte.

No. 31. ℞. Gumm. ammon. depurat.
Acet. ſquill. ſolut. drachm. II.
Oxymell. ſquill. unc. ſemis.
Kerm. mineral. gr. IV.
Aq. ſtill. menth. unc. V.
M. detur cochl. majus omni bihorio.

No. 32. ℞. Rad. irid. florent. drachm. I.
aron. drachm. ſemis.
ſquill. ſcrup. ſemis.
glycyrrhiz. unc. ſemis.
Gumm. ammon. d. drach. I.
Ol. anis. d. gt. X.
M. F. pulv. e quo capiat. ter aut quater de die cochl. minus.

No. 33. ℞. Gumm. ammon. d. drach. III.
Myrrh. elect. drach. I.
Succ. liquirit. inſpis drach. II.
Extract. ſquill. ſcrup. I.
Therebint. V. q. ſ.
M. F. L. A. pil. ſing. gr. III. capiant. 5. quater de die.

No. 34. ℞. Maſtich.
Benzoin.
Thur.
Oliban.
Stirac. aa. q. ſ.
Comminuant. in pulverem groſſiuſc. & prunis candentibus ad uſum inſperg.

No. 35. ℞. Pulv. cantharid.
Camphor. aa. ſcrup. I.
Cort. peruv. f. drach. III.
M. F. pulv. e quo. gr. X. dentur omni bihorio in vehiculo aquoſo.

N. 36. ℞. Tr. cort. peruv. unc. I & ſemis.
Elix. paregoric. unc. ſemis.
Tinct. cantharid. drachm. I.
M. cap. ter aut quater de die gt. 30 donec excitetur lenis ſtranguria.

No. 37. ℞. Anim. Rh. unc. I.
Liquor. terr. fol. tart. drachm. II.
M. d. gt. XXX in vehiculo aquoſo omni bihorio. Si vero forma ſolida magis placet.

℞. Rhabarb. optimi.
Magnes. alb. aa. drachm. I.
Sapon. venet. gr. XX.
Sulphur. aurat. antim. gr. VI.
Eleoſ. foenicul. drach. I.
M. F. pulv. e quo detur bis vel ter de die ad ſemiſcrupulum.

No. 38. ℞. Gumm. ammon. d. drach. II.
Sapon. venet. drach. I.
Extract. centaur. min. ſcrup. II.
Aquil. alb. gr. V.
M. F. pil. ſing. gr. II. Capiantur ter de die tres.

No. 39. ℞. Gumm. ammon. d.
Acet. ſquillit. ſolut. drach. II.
Fell. taurin. inſpiſſ. drach. ſemis.
Unguent. nervin. unc. I.
Ol. anis. & cum in d. aa. ſcrup. ſemis.

M.

M. inungatur ſeu potius fricetur abdomen eo bis de die.

No. 40. ℞. Rad. ſquill. gr. XX.
Tart. emetic. gr. III.
Sacchar. albiſſ. drach. I.
M. F. pulv. No. VI. quorum cap. I. omni bihorio.

No. 41. ℞. Liquor. C. C. ſuccin. drach. II.
Sp. Sal. armoniac. anis. drach. I.
Laudan. liquid. S. ſcrup. I.
Ol. cajaput. gt. XX.
M. d. gt. XXX in Aq. menth. cochl. omni bihorio.

No. 42. ℞. Tinctur. fuligin. drach. I.
Aſſ. foetid. drach. II.
Laud. liquid. S. Scrup. I.
M. eodem modo ut ſupra.

No. 43. ℞. Herb. majoran.
Flor. Lavand.
Lilior. convall. aa. drach. II.
Ol. ſtill. caryophyll. gt. III.
M. F. pulv. ſubtiliſſimus, e quo attrahatur tantillum ter quater de die naribus, ut ſternutatio excitetur vel ſaltem muci excretio promoveatur.

No. 44. ℞. Cort. peruv. ſ. drachm. ſemis.
Limat. mart. recent. non rubig. gr. III.
M. F. pulv. qualis doſis ter capiatur de die.

No. 45. ℞. Rad. angelic. drach. VI.
Hb. majoran.
Menth. criſp.
Salv.
Betonic, aa. M. ſemis.

Caryophyll. aromat. drachm. I.
Incind. & contund. d. chart.
Species pro cucupha in capitis doloribus.

No. 46. ℞. Decoct. hord. unc. IV.
Vin. alb. unc. I.
Mell. rosar. drach. VI.
M. injiciatur tepide aliquoties de die per parvum syphonem.

No. 47. ℞. Essent. myrrh.
aloës aa. drachm. I.
M. excipiantur aliquot guttae gossypio ter vel quater de die auri affectae immittendo.

No. 48. ℞. Rh. optim. drach. II.
Magnes. alb.
Lact. sulphur. aa. drachm. I.
Eleoss. foenicul. drachm. II.
M. F. pulv. e quo capiatur omni bihorio parvum cochlear in affectu acido.

No. 49. ℞. Rh. optim. drachm. II.
Cremor. tart.
Tart. vitriol.
Arcan. duplicat. aa. drachm. I.
Eleoss. foenicul. drach. II.
M. F. pulv. eodem modo ac supra sumendus in affectu bilioso.

No. 50. ℞. Aq. stillat. menth. piperit. unc. IV.
Liquor. anod. M. H. drach. II.
Eleoss. foenicul. drach. III.
M. cap. cochl. maj. omni bihorio.

vel

No. 51. ℞. Liquor C. C. succin. drach. I.
Sp. nitr. d. drach. II.

Es-

Eſſent. aurant. drach. I.
M. d. 50 gt. in vehiculo aliquoties de die.

No. 52. ℞. Tinct. mart. Ludovic. unc. I.
Liquor. terr. fol. tart. drach. II.
anod. min. H. drachm. I.
M. d. vitr. capiat. omni bihorio gt. 60. in vehiculo.

vel

℞. Extract. abſynth.
Centaur. min. aa. gr. IV.
Limat. mart. recent. non rubigin. gr. III.
Eleoſſ. cinamon. gr. V.
M. F. pulv. capiat. ter de die.

No. 53. ℞. Eſſent. carmin. W. drach. III.
aurant.
Sp. nitr. d. aa. drach. II.
Sal. d. drach. I.
M. d. vitr. Capiant. gt. 30 omni bihorio in vehiculo aquoſo.

No. 54. ℞. Flaved. cort. aurant. drach. II.
Sp. Sal. armon. anis. drach. I.
Aq. menth. piperitid. unc. IV.
M. cap. cochl. maj. omni trihorio.

No. 55. ℞. Magneſ. alb. drach. I.
Rh. optim. drach. I. & ſemis.
Sapon. venet. ſcrup. ſemis.
Eleoſſ. foenicul. drach. II.
Ol. tart. p. d. gt. X.
M. F. pulv. d. ſcatul. doſis ſcrup. I. bis vel ter de die.

No. 56. ℞. Aq. ſtillat. menth. unc. II.
cinamon. unc. I.
Laud. liquid. Sydh. ſcrup. I.
M. omni hora cochlear majus.

No.

No. 57. ℞. Rad. ſalabb. unc. ſemis.
Diſſolv. in aqua fervid. unc. VIII.
dein add.
Gumm. tragacanth. drachm. I.
Syr. diacod. unc. I.
M. capiat. cochlear majus omni bihorio.

No. 58. ℞. Amyli. drach. III.
Coq. in ſ. q. Lact.
dein add.
Ol. ſemin. lin. unc. I.
Laud. liquid. Sydh. gt. XXX.
M. F. clyſma.

No. 59. ℞. Therebinth. V. drach. II.
Vitell. ovor. No. I.
Theriac. Androm. unc. ſemis.
Lact. pur. recent. unc. V.
Ol. ſem. lin. unc. I.
M. F. clyſma.

No. 60. ℞. Cort. Symarrub.
Cascarcil. ad. drach. II.
Coq. in ſ. q. Aq. font. aa. unc. VIII.
Col. add. Elect. Diascord. Fr. drachm. II.
Aq. cinam. S. V.
Syr. Alth. Fr. aa. unc. I.
Doſ. unc. II. omni bihorio

No. 61. ℞. Liquor. terr. fol. tart. drach. III.
Laud. liquid. Sydh. drach. ſemis.
M. capiantur 50 gt. in vehiculo aquoſo omni trihorio.

No. 62. ℞. Ol. amygd. d. recent. p. unc. III.
Succ. citr. unc. I.
Sp. nitr. d. drach. I.

Syr.

Syr. Alth. Fr. unc. I.
M. omni trihorio cochl. maj.

No. 63. ℞. Laud. liquid. S. gt. XV.
Aq. ceraſ. nigr. unc. I.
Syr. diacod. unc. ſemis.
M. F. hauſtus una vice hauriendus.

No. 64. ℞. Rad. ſarſaeparill. unc. VI.
chin.
Lign. ſaſſaf.
Raſ. C. C. aa. unc. II.
Glycyrrhiz. unc. I.
Coq. in aq. font. cong. II. per horam dimidiam dein ſtent. clauſe ſuper ciner. calid. per hor. 12 poſt ebulliend. ad tertiae part. conſumpt. cum primum ab igne amoveat. infund ſem. anis. unc. ſemis. poſt horas II coletur liquor bibendus affatim.

No. 65. ℞. Gumm. guayac. drachm. III.
Sapon. venet. drach. I.
Camphor. drachm. ſemis.
Aquil. alb. ſcrup. ſemis.
M. F. pil. ſingul. gr. III. quorum capiantur tres ter de die.

No. 66. ℞. Sapon. venet. unc. ſemis.
digere len. igne in
Sp. vin. unc. IV.
dein add.
Camphor. ſcrup. I.
Ol. anthos. gt. XX.
M. fricetur eo pars affecta bis vel ter de die.

No. 67. ℞. Pic. naval. unc. IV.
Therebinth. ven. unc. ſem.

Ma-

Maſtich.
Succin. aa. drachm. II.
Sulphur. commun. unc. ſem.
M. F. emplaſt. iſchiadicum.

No. 68. ℞. Eſſent. ſtib. Hux. unc. I.
Sp. Lavend. compoſ. unc. ſemis.
M. capiant 40 guttul omni bihorio.

No. 69. ℞. Rob. ſambuc. unc. III.
Nitr. depurat. drachm. I.
Camphor. gr. X.
Oxymell. ſquill. unc. ſemis.
M. d. F. capiat. duo parva cochlearia omni bihorio.
Superbibendum infuſum flor. ſambuc. vel et Arnic. more theae.



Corrigenda in primo Fasciculo.

P. 2 §. 3. Lin. 2. pro aucta leg. acuta. Pag. 2 §. 5. lin. 5 pro febrium adesse l. febrim adesse. Pag. 3 ultima lin. pro praesentim l. praesertim. Pag. 6 §. 15 lin. 8. pro retractio l. refractis. Pag. 8 §. 19 lin. 2. pro indicatoria leg. judicatoria. Pag. 9 §. 23 lin. 3. pro praepediatus leg. praepediatur. Pag. 10 §. 24 lin. 8. pro quartanis leg. quintanis. Pag. 11 §. 27. lin. 3. pro despepto leg. dispepto. Pag. 11 §. 29 lin. 10. pro & leg. ob. Pag. 14 §. 37 lin. 1. pro stadie leg. stadio. Pag. 14 §. 37 lin. 5. pro durore leg. durove. Pag. 14 §. 37 lin. 7. pro sectioni leg. sectione. Pag. 14 §. 38 lin. 3. pro sortities leg. sordities Pag. 15 § 40 lin. 1 pro cur leg. cum. Pag. 17 § 40 lin. 11. pro Liniatura leg. Limatura. Pag. 19 §. 50 penultima lin. pro pathoque nomonicum leg. pathognomonicum. Pag. 23 §. 50 lin. 9. pro pusat leg. pulsat. Pag. 23 §. 61 lin. 2. pro aut leg. haud. Pag. 25 §. 65 lin. 9. pro quanto leg. quarto. Pag. 29 §. 76 lin. 2. pro aget leg. eget. Pag. 30 §. 80. lin. 2. pro loriniatri leg. loimiatri. Pag. 31 §. 81 lin. antepen. pro loriniatros leg. loimiatros. Pag. 37 §. 81 lin. 1. pro denuitate leg. tenuitate. Pag. 48 §. 131 lin. 7. pro mixtus leg. mictus. Pag. 49 §. 136 lin. 1. pro fuit leg. fit. Pag. 50 §. 137 lin. 4. pro pures leg. pares. Pag. 51 §. 139 lin. 6. pro Taleolae leg. Taleolas. Pag. 51 §. 140 penult. lin. pro aeris leg. acris. Pag. 51 §. 141 lin. 6. pro obridentis leg. obsidentis. Pag. 51 ibidem. pro instar leg. instat. Pag. 53 §. 141 lin. 2. pro suribus leg. cruribus. Pag. 56 §. 159 lin. 6. pro totum leg. fotum. Pag. 61 §. 159 lin 5. pro cortis leg. coctis. Pag. 70 §. 204 lin. 5. pro habenda leg. tradenda. Pag. 70 §. 205 lin. 6. pro ante leg. arte. Pag. 75 §. 205 lin. 1. pro nictu leg. metu. Pag. 78 §. 205 lin. 1. pro perspicabilis leg. perspirabilis. Pag. ibid. §. 227 lin. 8. pro grispastica leg. epispastica. Pag. 81 §. 236 lin. 3. pro introrsa leg. nitrosa. ibid. §. 237 lin. 3. pro turunculi leg. furunculi. Pag. 85 §. 245 lin. 1. pro sirienses leg. sinenses. Pag. 85 §. 245 lin. 4. pro siriaca leg. siniaca. Pag. 88 §. 251 lin. 11. pro febris leg. fibris. Pag. 99 §. 277 lin. 2. pro medicor leg. medicorum. Pag. 103 §. 282 lin. 19. pro aere leg. acre. Pag 111

§. 294

§. 294 lin. 4. pro lythogala leg. zythogala. Pag. 117 §. 294 lin. 4. pro phrenicum leg. phreniticum. Pag. 119 §. 312 lin. 2. pro fifca leg. fufca. Pag. 120 §. 317 penult lin. pro ventricul. leg. ventriculum. Pag. 121 §. 320 in antepenult. pro aerugriofae leg. aeruginofae. Pag. 124 §. 326 lin. 7. pro palpitationes leg. palpationes.

COMPENDIVM MEDICVM PRACTICVM

PER

FASCICVLOS DISTRIBVTVM

FASCICVLVS TERTIVS.

DEBILITATES ET HALLVCINATIONES

SISTENS

AVTORE

SALOMONE THEOPH. DE MEZA,

MEDICINAE DOCTORE ET POLIATRO HAFNIENSI

SOCIETATIS MEDICAE HAFNIENSIS MEMBRO

ORDINARIO.



HAFNIAE,

APVD CHRIST. GOTTL. PROFT.

BIBLIOPOLAM VNIVERSITATIS.

1780.



COMPENDIUM MEDICUM PRACTICUM
PER FASCICULOS DISTRIBUTUM
FASCICULUS MORBORUM TERTIUS
DE DEBILITATIBUS ET HALLUCINATIONIBUS.

CAP. I.
DE DEBILITATE IN GENERE.

---

§. 1.

Facultas exercendi omnes functiones five naturales vitalesve, five animales, fenfusque omnes viribus unicuique homini propriis atque folitis imminuta aut impedita, Latinis Debilitas, Græcis Adynamia dicitur, quæ fi diu durat ob minorem gravitatem, valetudo audit adverfa.

 §. 2.

§. 2. Causa proxima quærenda in influxu fluidi nervosi a cerebro ad organa moventia sentientiaque, vicissimque ab hisce in sensorium commune impedito, & in fibrarum viscera & organa constituentium nimia laxitate, quæ vero varias agnoscunt causas remotas & occasionales. De fibrarum laxitate peculiariter legi merentur BOERHAVIUS & DE GORTER.

§. 3. Spirituum influxus tribus præcipue impeditur de causis in nervos, scilicet eorundem defectu, electricitate seu activitate horum fracta, demum & transitu impedito prior fit per evacuationes copiosiores quascunque sanguinis nempe, lactis in nutricibus, seminisque præ cæteris in neonuptis, venerisque cultui nimis deditis, morbum diuturniorem, nec non inediam diu toleratam.

§. 4. Spirituum electricitas frangitur, ab exhalationibus putridis, cadaverosis, narcoticis venenatisque, miasmate contagioso in morbis malignis, epidemicis, quibus addi possunt animi pathemata, uti terrores & moerores, quæ stuporem animæ inferunt: tum etiam vita sedentaria, unde foeminæ cæteris paribus viris molliores, potus calidus, somnus nimis protractus, alimenta tenacia, diæta crassa viscida & farinosa, tandem mollis admodum educatio. Inde ditiorum ac nobiliorum filii valetudinarii fere semper; e contra pauperum & rusticorum robusta atque vegeta exiitit soboles.

§. 5.

§. 5. Spirituum transitum impediunt compressiones, ligaturæ, callositates, sectiones. Inde non raro humorum abundantia sive bonorum, uti in plethora, sive malorum uti in cacochymicis Cohaesio vero partium minuitur ab earundem nimia distractione, uti in gravidis & his, qui ascite laborant. A nimio usu oleosorum & aquosorum: Inde facile intelligitur, cur carceribus inclusi, longis navigationibus detenti, soloque humido degentes adeo debiles.

§. 6. Præter causas memoratas sunt quædam debilitatem inducentia naturalem fere, uti aetas, dispositio hereditaria & sexus. Sic infantes & homines, quo origini suo propiores, debiles admodum, idque eo magis, quo a parentibus debilioribus magisque effoetis procreati. Ratione sexus foeminas præ viris imbecilliores esse jam supra innuimus.

§. 7. Debilitas ipsa morbus, feracissima morborum abstrusorum causa, malorum veraque lerna, quibus omnes actiones depravantur, læduntur. Inde enim fiunt prolapsus, herniæ & procidentiæ; distensiones, tumores, varices, aneurismata. vasorum rupturæ, contentorum effusio in pulmonibus hæmoptoës, in abdomine hydrops ascites, in vesica, urinæ incontinentia, in renibus diabetes. Infantes debiliores ob ossium mollitiem, nimiamque flexibilitatem, facillime spinæ dorsi distorsione & gibberositate afficiuntur. Foeminæ ob fibrarum laxitatem nervorumque nimiam mobilitatem hystericis spas-

modicisque affectibus plectuntur, viri hypochondriaco affectu nervorumque resolutione saepe laborant. Debilitas autem praecipue a nervorum compressione in cerebro oriunda producit delirium aliasque mentis hallucinationes; in oculis caliginem & visus hebetudinem; in auribus tinnitum, susurrum & surditatem plenariam. A minimo motu, risu, tussi, sternutatione, clamore, animi commotione leviori, debilibus celerrime palpitat cor, omnesque arteriae velocius pulsant, nervi vehementer vibrant, ut e tremoribus sibi valde familiaribus innotescit.

§. 8. Debilitas hic sola considerata absque alio viscerum vitio, aut ulla comite febri, si a penuria & inopia humorum replentibus curanda, videlicet lacticiniis, ovis inprimis horum albuminibus, sufficiente aquae quantitate dilutis, juribus carnium animalium teneriorum. Plethora, si adsit, sanguinis missione minuenda, cacochymia emeticis & catharticis, quo amplius functiones haud laedantur.

§. 9. Inertia solidorum corrigitur vini generosi poculo, frictione pannis, aromaticorum fumo imbutis, bis de die saltem instituta ad spinam dorsi, abdomen vacuo ventriculo & ad artus tam superiores quam inferiores; corporis exercitio arte gymnastica olim plurimi habita, hodie prorsus neglecta, singulis membris adoptato, declamatione, lucta, pilae lusu, cursu, saltu, funis leni agitatione & motu oscillatorio, gestatione in lectica, vectione in carpento molli, rheda, equi-

tatione

tatione demum & deambulatione sensim auctis, a primo & leviori gradu incipiendo; nec non navigatione, qua antiqui praecipue ad phthisin curandam utebantur, medicamentis roborantibus, cortice peruviano, chalybe, aquis mineralibus. Fibrarum laxitas nullo efficaciori remedio roboratur corrigiturque, quam balneorum frigidorum prudenti usu, compressione & fasciarum apta circumductione.



CAP. II.

DE VERTIGINE.

§. 10.

Vertigo levissimus capitis morbus & primus, uti videtur gradus, ad appoplexiam, ultimumve diu remanensque symptoma in affectibus capitis sanandis, apparens est rotatio objectorum quiescentium cum corporis mutatione & visus obscuratione non raro, unde & scotomia audit seu vertigo tenebricosa. Varii colores subinde, splendores subitanei ante oculos apparent, quidam hallucinatione, geminata vident objecta, cum ingrato tinnitu, bombo, susurru auriumve sibilo & veluti palustris currentis stridore molesto. Saepe cum nausea & vomitu, si morbus gravior, titubantes incedunt vertiginosi.

§. 11. Causa proxima spirituum motus inordinatus in nervis opticis praecipue, inde retinae e sua sede dimotio. Causarum remotarum numerus magnus quidem est, uti statim videbitur: si autem hae in ipso resident, capite idiopathicam sistunt vertiginem, sympathicam vero, si extra cerebrum. Critica in acutis praecedit haemorrhagiam salutarem; neque raro vomitus existit prodromus.

§. 12. Idiopathica autem censenda quae oritur vertigo ab ictu aliaque vi capiti illata, qua cerebrum commovetur, a contusione, vulnere, compressione, intropressione partium, encephalon seu cranium constituentium, extravasato cerebri substantiam premente ejusdemque tumoribus, serique collectione in ventriculis cerebri, quibus haud inepte addenda, quae plethoram topicam seu sanguinis congestionem ad caput faciunt, uti meditationes protractae, pulveris ptarmici abusus, insolatio, ira, calor hypocausti excedens.

§. 13. Sympathica ut plurimum originem habet in stomacho & primis viis, in ingluvie, uti praesertim apud infantes, crapula apud adultos, ebrietate, spirituosorum abusu, in copia bilis, vermibus in intestinis, haud vero in sinubus nasalibus nidum facientibus, corporibus haeterogeneis in ventriculo haerentibus, putridis ingestis, in usu immodico hyosciami, opii, belladonae, cicutae aliorumve narcoticorum, in vene-

nis

nis deglutitis, quin in fame & inedia vertiginis tenebricosae latet causa frequens, quando & iracundia & moeror eidem junguntur.

§. 14. Metastatica quoque fit vertigo ab acrimonia quacunque arthritica nempe rheumatica, syphyllitica; tinea capitis retroacta, ulcerum exsiccatione intempestiva, evacuationibus sanguineis suppressis, serosis alvinisque retentis, nec non ab excretionibus quibuscunque copiosioribus & ab aere humido & austrina constitutione.

§. 15. Momentaria & transitoria saepissime sequitur vertigo: praerupta cernentes, profunda & praecipitia ex alto spectantes, ignem, rotam rapide agitatam, torrentem impetuose fluentem, nivem diu conspicientes, in altum scandentes, per semitas angustas in montibus locisque sublimioribus transeuntes. Praeterea fit saepe vertigo ex simplici capitis inclinatione deorsum terram versus, a tubarum clangore, tonitruis, terrae motione, corporis in gyrum rotatione, vectione in Rheda per viam interruptam, praesertim retrorsum sedenti; a navis agitatione in mare, e qua coeci ipsi, quamvis minus cito quam videntes, vertigine afficiuntur, demum a spirituosorum vapore, tabaci & carbonum fumo, calcisque recentis exhalatione.

§. 16. Vertigini obnoxii manent debiles, timidi, infantes, scorbutici, senes, feminaeque hystericae, praecipue & gravidae, quibus a plethora & mutata circulatione frequens occurrit,

 auri-

aurifabris quoque frequens ob mercurium, quem tractant, lucubrantibus diu in prima somni accessione saepius fit vertigo.

§. 17. Aliquando medelam admittit; aliquando incurabilis est affectus & in morbum convulsivum in Junioribus, paralysin aut appoplexiam transit in senibus & prae caeteris gravior est tenebricosa, quam simplex vertigo, item quae fit oculis quamvis clausis, idiopathica periculosior quam sympathica.

§. 18. Cura Vertiginis nulla datur generalis. Venae sectio etenim & arteriarum temporalium incisio non nisi in plethoricis locum habet, emetica & stomachica in cocochylia adhibeto. Indicans sit tibi nausea, vomitus & appetitus prostratus vertiginem praecedentia potius quam insequentia. Post emeticum MEAD, qui vertiginem magis ventriculi quam capitis morbum supponit, elixir vitrioli MYNSICHTI laudat; infusum ligni Quassiae frigide post pastum epotum, remedium hic minime contemnendum. Cortex peruvianus, martialia, aquae pyromontanae potus optima. Cathartica & quidem mercurialia contra vermes in intestinis, pulvis ptarmicus ex Valeriana & nicotiana in naribus nidulantes commendantur. Semicupium tepidum stillando interim frigidam supra verticem, vel caput frigida lavando multum valet ad congestiones topicas revellendas. A spirituosis per nares attractis malum saepissime augetur. Caeterum si nullius ple-

thorae

thorae ſaltem topicae ſigna, capitis frictiones pannis ſpiritu C. C. ſuccinato, vel aqua hungarica imbutis inſtituere licet. Quae a plagis, percuſſionibusve capitis fit vertigo, tractetur chirurgica arte, non omiſſis evacuationibus generalibus. Si a materia acri ad cerebrum depoſita cauterium inurendum & veſicatoria adhibenda.

§. 19. In Diaeta conducit, ut aeger in loco quieſcat obſcuro, vitet ſtrepitum omnem, ſomnum capiat modicum capite erecto. In debilitate ſolidorum exercitium conducit quotidianum cum pertinentibus omnibus atque §. 9. enarratis; alimenta dura, indigeſta flatus producentia improbantur, nec non intemperantia in cibis capiendis. Olera nimis aquoſa, eſculenta pinguia, oleoſa, fructus & acida nimis, noxia omnino. E contra apium, ſcorzonera, cichoreum, capparis, ſemen ſinapios aliaque aromatica pro condimentis optima cenſentur. Potulenta quoque nimis aquoſa damnantur, atqui hauſtus vini Madarenſis, Mummae Brunswicenſis interdum conducunt.





Cap. III.

DE APPOPLEXIA.

§. 20.

Subita neque raro lenta ſenſuum externorum ac internorum plenaria abolitio, pulſu & reſpiratione ſtertoroſa ut plurimum ſuperſtitibus, Appoplexia medicis, ſideratio latinis audit; a cerebri compreſſione per vaſorum repletionem & infarctus in plethoricis; ſanguinem aut ſerum extravaſatum, tumores, lapides, oſſa aliaque plerumque oriunda, quo liber ſpirituum per nervos, influxus impeditur. Aliquando febris adeſt, aliquando, quamvis raro, ſpuma circa os peſſimo quidem omine, foeces & lotium invite emmittuntur ex ſphyncterum reſolutione.

§. 21. Diviſio Appoplexiae in ſeroſam & ſanguineam, quamvis haud inepta, cum maxima detur differentia in methodo utriusque medendi, minus accurata tamen videtur, cum & pituitaria, atrabilaria, purulenta, metaſtatica, arthritica; verminoſa, hiſterica per conſenſum occurrant.

§. 22. Quae ſubito invadit appoplexia, dictoque citius hominem quaſi ictu aut fulmine percutit, fortis vocatur; quae autem lente & ſenſim obrepit, praecedentibus aliquandiu vertigine

gine, muſcorum ante oculos obverſatione, memoriae lapſu, dentium ſtridore, motu linguae imminuto, balbutie loquelae depravatione & tarditate, capitis dolore obtuſo & tumida faciei inflatione, ſopore inter cibum capiendum aut ſtatim poſtea, oblivione mox dictorum, ſpontanea oculorum illacrymatione, ſtupore frequenti brachii vel pedis cum extremorum continua refrigeratione, lenta & levior dicitur.

§. 23. Collectio lenta humoris atrabilarii, ſcorbutici vel podagrici, leviorem adhuc affectum, ubi ſenſus vel motus leve veſtigium remanet, parapoplexiam ſiſtit. Senſus enim pereunt quidem, ſed poſt momentum temporis iterum inſurgunt; motus quoque abolitus videtur, ſed conamen movendi manet: excitatus, vellicatusve aeger palpebras elevare conatur, quae mox iterum labuntur clauduntur que.

§. 24. Quidam credunt omnes ſenſu & motu privari poſſe partes capiti ſuppoſitas, huncque affectum paraplegiam vocant, atqui rariſſime ſi unquam occurrit & non niſi forſan a violentia externa ſpinae dorſi nuchaeve illata. A cauſa interna etenim vix concipi poteſt absque ſenſuum internorum laeſione; unum tantum latus afficiens ſenſibus internis non penitus abolitis, haemiplegia nominatur; ſed haec potius ad paralyſim & membrorum reſolutionem referenda.

§. 25. Appoplexia corporis, fabricae ratione familiaris eſt labe hereditaria capite gaudentibus

tibus magno colloque brevi; maxime plethoricis, cacochymicis, pituitaque repletis, habitu phlegmatico & obesiori praeditis; aetatis ratione senibus a quadragesimo ad sexagesimum annum praecipue; vivendi modi respectu doctis, studiisque aequo plus deditis, laute viventibus, potu spirituoso abutentibus, venereque nimia exhaustis, somno nimio praecipue a prandio indulgentibus. Anni temporis ratione circa aequinoctia & solstitia observante HIPPOCRATE fiunt appoplexiae plerumque ex nimio aeris frigore & sanguinis condensatione vel & spirituum sideratione non raro fit.

§. 26. Occasionales variae sunt causae, scilicet serosam & plethoricam inducentes appoplexiam. Hanc enim praecipue excitare valent epulae, ebrietas, irae motus, terror improvisus, aliaque animi pathemata validiora, sanguinis evacuationes consuetae suppressae, lactis repulsio in puerperis, decubitus supinus post coenam pleniorem.

§. 27. Serosam prae ceteris inducunt polyphagia, alimentorum dispeptorum ingestio, capitis refrigeratio in aëre humido & frigido, praeter quam multa, quae humorum congestionem circa caput adaugent, aerem & sanguinem intercipiunt circa praecordia, spirituum influxum in nervos cerebrum comprimendo impediunt; uti balneum frigidum corpori calido applicatum, insolatio, carbonum halitus, spirituosorum vapor, narco-

narcoticorum uſus, caſus demum, lapſus ictusve capitis.

§. 28. Morbus eſt acutiſſimus, & ſi non tranſit in paralyſin aut haemiplegiam plerumque intra quatriduum necat. Levior aliquando ſolvitur ſudore calido, aequali diu ſubſiſtente, aut alvi fluxu copioſo, vel lotio multo & pituitoſum ſedimentum dimittente; ſive haemorrhoidum aut menſtruorum fluxu largo reſtituto, vel febri magna ſuperveniente, diſtinguenda quam maxime a febri illa appoplectica ſeu appoplexia periodice redeunte & typum tertianarium ſervante, quae ſtatim ſi poſſibile, ac e conſtitutione epidemica innoteſcit, cortice peruviano ſupprimenda.

§. 29. Cura varia pro varietate cauſae inſtituenda. Sic in ſanguinea copioſae requiruntur ſanguinis miſſiones, in brachio, talo & jugulari, vel & arteriotomia temporalis & hirudinum applicatio & pone aures & ad tempora conducit. In ſeroſa non tam copioſa requiritur ſanguinis evacuatio. Mead hic cucurbitulas cum ſcarificatione occipiti appoſitas laudat, & plus quam venae ſectiones prodeſſe vires nequaquam labefactando cum Araeteo ſtatuunt quidam.

§. 30. Purgantia dein conducunt, quae perpetuam inducunt diarrhoeam in Sanguinea N. 1. notata, in ſeroſa fortioribus, oleo ricini uti licet, clyſteres acriores N. 2. non omittendi. Emetica in ſanguinea quoque minus tuta, in pituitoſa & praeſertim poſt ciborum nimia copia ingurgitationem

tionem necessaria. In exhaustis & inertia fluidi nervei omnes habentur noxiae evacuationes.

§. 31. Vesicantia ad nucham, verticem derasis capillis, nec non ad dorsum & artus in serosa praecipue utiliter apponuntur, sed ubique melius quam ad suras, a decubitu enim humorum in senibus varia incommoda orta observata habentur. Raphanismi, sinapismi tutiores, tincturam cantharidam interne propinatam nullibi magis prodesse posse, quam in appoplexia pituitosa affirmat Schacht.

§. 32. Pannis asperis quoque vel scopis strenue perfricandae extremitates & spina dorsi: pediluvia tepida haud contemnenda, frigida interim imposita nudo capiti. Situs enim appoplecticorum optimus sessio in sede brachiata cruribus declivibus. Ligaturas supra genu injiciendas suadet Tissot & alii. Excitari debent etiam appoplectici a colluvie serosa praesertim spiritu salis armoniaci naribus applicato, vel & pulvere sternutatorio No. 3. Appoplexia temulenta ex opio, optime acidis copiose ingestis curatur. A violentia externa capita illata repetitis venae sectionibus & catharticis, trepanatione aliisque auxiliis chirurgicis pertractanda.

§. 33. Appoplexia levior semel curata facile redit fortior lethalisque, prophylactice ergo venae sectio instituenda ter quater in anno, videlicet in plethoricis, temperantia & frugalitas in omnium rerum usu observanda: studia, curae, medi-

meditatio, somnus meridianus, decubitus supinus stomacho repleto & a coena praecipue omnino vitanda, fonticuli aperiendi in artus. Aegyptii referente ALPINO capitis inustione & cauteriis appoplexiam curant, in diaeta prophylactica omittantur allia, cepae, aër nebulosus, caro suilla salita; e piscium genere molliores, uti carpiones, tincae, cyprini lati damnantur. Alvus libera servanda, fumi tabaci suctio valet in pituitosis.

CAP. IV.

DE MORBIS CAETERIS SOPOROSIS.

§. 34.

Morbi soporosi, somnive veternosi idiopathici praecipue quoad causas, effectus & curam cum appoplexia omnino conveniunt. Differentia enim exigua est & facillime hi affectus inter se commutantur. Tanquam leviores appoplexiae considerandi veniunt igitur lethargus, carus & coma, quodvero duplex, somnolentum scilicet & vigil; quod potius ad pervigilium & impotentiam dormiendi pertinet.

§. 35. Lethargus autem est somnus satis profundus non sine febri & cum oblivione maxima, nescit enim aeger se dormisse, & matula si

detur,

detur, mingere oblivifcitur; plerumque dormit demiffa maxilla inferiori & ore hiante.

§. 36. Carus fomnus eft profundiffimus, vix ne vix quidem excutiendus & appoplexiae proximus gradus, nifi quod infpiratio liberior & fine ftertore procedit, aliquando phrenitidis eft effectus.

§. 37. Coma fomnolentum eft propenfio in fomnum, a quo quidem evigilari poteft aeger ab objectis externis moverique, atqui mox iterum in fomnum relabitur. Saepius eft fymptoma febrile; hifce affectibus fimiles funt fomni illi chronici & Eudyomenei quafi, qui ab obfervationum collectoribus traduntur.



Cap. V.

DE COMATE VIGILI, PERVIGILIO SEU AGRYPNIA.

§. 38.

Contrarii praecedentibus affectus funt coma vigil vel Typhomania, pervigilium & Agrypnia. Prior qui & lethargus fpurius dicitur, propenfio eft in fomnum, nullo tamen infequente fomno cum oculis conniventibus, delirio & infomniis. Subito enim oculos aperiunt torvo adfpectu, clamant & incongrua loquuntur.

§. 39.

§. 39. Pervigilium ſtatus eſt, quo aegri nullo modo ſomnum capere poſſunt, neque noctu, neque interdiu absque delirio; in initio ſaltem, ominoſum eſt ſymptoma in quam plurimis morbis acutis & chronicis & ad mortem certo certius ducens, uti multiplici experientia compertum habeo.

§. 40. Caeterum pervigilium diu durans ſpiritus conſumendo, cerebrique functiones turbando, corpusque quam maxime debilitando, febres peſſimas producit cum delirio ſemper comitatas; demum in coma & apoplexiam tranſit. Critica eſt aliquando in acutis et haemorrhagiam praeſagit ſalutarem, quam ſtatim ſomnus excipit placidus.

§. 41. Somnum proxime impediunt & agrypniam inducunt, ſanguinis congeſtio ad caput, eiusque motus major. Ejusdem rarefactio, et pulſatio inde aucta arteriarum, motusque ſpirituum inordinatus, quae iterum remote a varia multiplicique cauſa.

§. 42. In harum cenſu veniunt quodvis irritans ſive cerebrum ſive alias partes ab encephalo diſſitas, qualia ſunt acria mechanica, pungentia, fracturae, contuſiones, vulnera, lithiaſis, & alii dolores vehementiores, ſpasmi generales & topici; acrimonia quaecunque ſcabioſa, arthritica; febres, inflammationes, plethora, evacuationes ſuppreſſae, retentae; infimi ventris infar-


ctus, ventriculi nimia repletio, tormina in infantibus.

§. 43. Levioris momenti est agrypnia, quae inferiorum corporis partium frigori, tepidorum aquosorum potui, vespertino tempore, vini, cerevisiaeque generosioris usui, animi motibus & curis debetur. Caeterum hypochondriaci & hystericae praecipue pervigilio laborant. Senibus quoque familiaris.

§. 44. Ut cura rite instituatur, corporis & animi quies commendanda, aeger in loco obscuro & ab omni strepitu remotissimo collocandus, ubi aërem frigidiusculum exhalationibus plantarum refrigerantium refertum respiret. Victus blandus farinosus exhibendus, medicamenta temperantia, humectantia, emulsiones ex seminibus frigidis, anodyna leviora ex papaverinis, non autem narcotica danda, & ex observatione Sydenhami constitit, linteum aqua rosarum stillatitia madidum, & frigide fronti ac temporibus adhibitum plus prodesse quam ipsa narcotica. Insessus etiam, pediluvia ac fotus pedum tepidi emollientes plurimum laudantur. In alvo obstructa, cathartica & clysteres juvant. Coma vigil tanquam quid complicati secum portans, armis contrariis oppugnandum, & ex prudentia medica nunc excitantia, nunc vere anodyna propinentur.

Cap.





Cap. VI.

DE PARALYSI ET HAEMIPLEGIA.

§. 45.

Motus sensusve vel uterque simul, sive totaliter aboliti, sive multum imminuti in membro quovis peculiari Paralysis dicitur; levior affectus paresis est. Insensilitas momentanea cum formicationis sensu stupor & membrorum audit obdormitio, sensus deficiens aneisthesiam, (de sensu amisso mira quidem referuntur) motus tantum deficiens artheniam sistit. Mirabilis est affectus a Senac visus, quo aeger insensilitate unius, immobilitate vero alterius afficiebatur brachii. Unum latus affectum haemiplegiam, omnes partes praeter caput, paraplegiam seu paraplexiamconstituit. Palpebrarum superiorum praesertim paralysis & elongatio, antoniaton blepharon; gulae & oesophagi, angina paralytodes medicis vocatur.

§. 46. Pro varietate partis paralyticae varia fiunt incommoda; sic in oculis caecitas; in auribus surditas; in uvula ejusdem relaxatio; in gula deglutitio impedita fluidorum potius quam solidorum: in lingua loquelae depravatio; in musculis faciei distorsio oris, cum manducationis laesione, in pulmonibus suffocatio praeceps; in cor-

corde mors inopinata, in ventriculo & inteſtinis vomitus & alvi fluxus varii; in ſphinctere veſicae urinae incontinentia, in corpore ipſius iſchuria totalis; in ſphynctere ani ejusdem procidentia, cum excrementorum alvinorum involuntaria excretione, in utero ejusdem prolapſus; in muſculis erectoribus penis impotentia virilis membrique erectionis impoſſibilitas; in extremitatibus inferioribus ambulandi impotentia & inceſſus quam maxime difficilis, qualis ille eſt affectus Indis endemias fere & incolis Beriberi nuncupatus, quo, quos malum iſtud invaſit, uti habet BONTIVS nictando genibus ac elevando crura tanquam oves progrediuntur. Ab aliis idem affectus ſcelotyrbe dicitur, ſaltem parum ab eo differre creditur. Motus in utroque praecipue perit.

§. 47. Cauſa proxima fluidi nervei influxus per nervos impeditus. In paraplexia illud impedimentum praecipue exiſtit in nervis e medulla egredientibus ſpinali. Caeterum laedi poſſunt nervi in ipſo cerebro & in ipſis organis ut inde ſequatur ligamentorum reſolutio & membrorum motui inſervientium ſumma relaxatio. Nervorum laeſio a variis iterum produci poteſt, ſive generalibus, uti omnia, quae Apoplexiam creare valent, de quibus egimus capite tertio, ſive magis peculiaribus jamjam recenſendis.

§. 48. Remotiores igitur & particulares cauſae paralyſim omnesque ejus ſpecies inducentes referuntur a me, ad corporis fabricam & conſtitutionem, ſive fluida ſive ſolida ſpectes; ad

ad vivendi rationem; ad gesta & ad ingesta corporive applicata.

§. 49. Ad corporis fabricam & constitutionem pertinent, sanguis viscidus & inflammatorius in quibusdam morbis acutis, plethora ipsa, peripnevmonia & tumor pulmonum; indoles scorbutica, ventriculi & intestinorum debilitas; graviditas teste PERCIVAL, hepatis infarctus, colica pictonum, quam specifice extremorum superiorum sequitur paralysis, pedibus enim paralytice captum, neminem se vidisse a colica Daninoniorum testatur HUXHAM. Immobilitas potius inferiorum extremitatum sequitur in pueris aliquando a curvatura spinae dorsi, nunc prope costas, nunc prope lumbos. Hisce addenda veniunt miasma venereum, gonorrhoea, tinea ob intempestivam curationem corpori noxia; dolor & convulsio partis diu tolerata, inde saepissime ab ischiadico remanet morbo.

§. 50. Ad vivendi rationem referuntur argenti vivi tractatio, unde Metallurgis, deauratoribus, aurifabris, chemicisque morbus familiaris. Ex pallio humido cervici circumvoluto paralysim vidit GALENVS; ex pileo humido diu capiti imposito vidi paralysim musculorum faciei, inde facile intelligitur, cur piscatoribus, natatoribus haud infrequens paralysis.

§. 51. De gestorum censu sunt, pedum sudantium subito in frigidam immersio, animi affectus vehementior, ira scilicet, decubitus super

marmore aut lapide frigido, venus nimis culta. Ad ingesta & applicata pertinent victus humidus, venena varia narcotica; ex usu belladonnae interno refert LUDWIG, quin ex eadem externe applicata vidit RAJUS. Pupillae paralysim, hacque amota, ejusdem restitutam mobilitatem tribus distinctis vicibus eodem semper cum eventu. Pertinet & hic tactus piscis Torpedo dicti, exhalationes saturninae, calcis recentis, aër frigidus humidus & calidus nimis.

§. 52. Paralysis nunc Apoplexiae prodromus, nunc pedissequus, hic minus, ille magis periculosus affectus. In senibus tamen vix curatur, in aetate vero florida & tempore verno non raro artis ope, & aliquando sponte sanatur. Caeterum pes paralyticus facilius quam brachium restituitur. Saepius vero pars affecta atrophia contabescit, neque raro oedemate tumet, quod si hic tumor sponte subsideat, brevi mors instat.

§. 53. Verum enim vero paralysis cerebro illaeso, neque convulsionibus stipata diu durare potest absque vitae periculo, quidam satis bene se habent, edunt, bibunt, dormiunt, variasque functiones actionesque satis commode, alacriter quidem nec sine oblectamento peragunt, alii iterum per plurimos annos lecto affixi manent de reliquo bene valentes. Paralysis autem organa animalia, vitalia & naturalia afficiens periculosa valde & cito lethalis. Angina paralytodes rarissime si unquam sanabilis, sanatam tamen ela-

pso

pſo integro anno refert STALPART VAN DER WIEL.

§. 54. Diarrhoea ſponte oborta interdum in juvenibus ſolvit paralyſim; meliorem etiam ſtatum promittunt dolor, ſenſatio, tremor, calor major & formicatio membro paralytico ſuperveniens; e contra haec eadem in corpore ſano & ſenili, invadentem jam ſtatim paralyſim praeſagiunt. Febris hic oborta boni etiam eſt augurii, quin terror improviſus aliquando ſanationem huic attulit morbo. DIEMERBROCKIVS vidit paralyſi per 38 annos laborantem foeminam dein fulmine perterritam per 15 alios annos ſanam.

§. 55. Arte curatur venae ſectione inſtituta in primo principio, in juvenibus plethoricis ſpeciatim; emeticis ſi ſordes in primis viis, aut venena nuper ingeſta. Catharticis No. 4. quae diu continuanda, ut perpetua fere excitetur diarrhoea. In ſenibus tamen caute cum evacuationibus procedendum; medicamentis ſtimulantibus, calefacientibus, infuſo ſaturato Arnicae, pulvere radicis Valerianae ſilveſtris, corticis peruviani, ſucco 50 millepedum recenter contritorum & vino tenuiori mixto atque omni mane epoto, uti ſuadet BOERHAVIVS, oleo cajaputi, animalis Dippellii ad guttulas aliquot pro doſi ter quater de die. Mercurialibus in lenteſcentia humorum, vermibus & venereo contagio.

§. 56. Varia auxilia externa & topica minime contemnenda adhibentur a practicis in paralyseos curatione. Primo quidem commendat TRONCHIN, ut in evisceratis recens animalibus resoluti detineantur artus, tepidus ille fotus, cui nullus par est, saepius repetatur. Analoga videtur huic methodus medendi Indorum, qui, referente LIND, aegrotos Beriberi affectos in fossam ad nucham demittunt, teguntque sabulo, donec graviter incalescat a sole. Thermae aquisgranenses, carolinaeve commendari possunt divitibus, modo caput non sit affectum.

§. 57. Contrariam viam incedunt, qui MEADII ad exemplum crebram corporis infrigidam laudant demersionem in hoc affectu curando, nimirum si vires & aetas id sinant; non pariter enim, uti habet: „Senio confectis ac juvenibus prodest haec medicina„ curavi ipse ego aliquando juvenem pedibus resolutum fere, a nimio seminis dispendio per balneum frigidum. Stillicidia quoque aquae sale ammoniaco impregnatae in partem affectam ab alto delapsa, saepius juvisse certum est.

§. 58. Per sudorifera sive interne ex decocto guayaci cum camphora parato, sive externe per vapores spiritus vini accensi flamma determinata ad partem nudam ipse expertus sum optimo successu in paralysi artuum inferiorum, ad omnia rebelli. A primo balneo cubitum iturae instituto tantum solaminis consecutum fuit, ut aegra pedibus.

bus capta ultra annum, a lecto ſola exſurgere potuiſſet ſequenti mane, veriſſimum ergo eſſe effatum BOERHAVII patet, ſc. „ſi hoc remedium non curat, etiam nocet, & hoc prima vel ſecunda vice jam patet„ vix per pauca minuta vapor ille calidus penetrabiliſſimus corpus alluit, caleſcere incipit, ſudorque tanta copia manat, ut vix per horam & quidem ſatis aliter robuſti homines ſuſtinere valeant hanc operationem. Optimum eſt alternis noctibus ſudorem hoc methodo movere, ſpatioque 15 dierum cura abſolvitur. Praeſtat vero ſemper medicum adeſſe, uti mihi mos eſt, dum talis ſudat aeger, utpote pro re nata judicet, quousque pergendum ſit. Ad prima enim indicia debilitatis deſiſtendum. Hoc facto & linteis calidis corpore deterſo in lectum calidum deponatur aeger. Sicque levius adhuc ſudabit per unam alteramve horam exhibito praeſertim vini hauſtu. Aër, in quo ſudat aeger, ſit hypocauſti ope probe calefactus.

§. 59. Topica magis ſunt urticationes, fuſtigationes partis uti & frictiones pannis laneis fumo thuris, maſtichis, olibani & ſuccini impraegnatis. Electricitas, quae ut obiter dicam, cum thermis aliisque ſtimulantibus, in juvenibus & valde plethoricis non ſatis tuta. Commendantur etiam veſicantia, ſetacea, fonticuli, qui medici angli praecipue cruribus inurunt in illa paralyſeos ſpecie, quae in pueris fit non raro a curvatura & diſtorſione vertebrarum §. 49. notata cauterium actuale inter primam & ſecundam vertebram

bram cervicis adhibitum miro modo extollit ERUDBELLIVS & hoc familiare esse in paralyticis apud Aegyptiós testatur ALPINUS.

§. 60. Inungere quoque jubent medentes membra paralytica unguento nervino No. 5. vel & linimento volatili vel & sapone veneto, in aqua hungarica soluto, additis guttulis aliquot olei animalis Dippellii. Monendum autem, quod in paralysi musculorum faciei ad latus e quo versus musculi constringuntur & os torquetur non adhibenda inunctiones cum volatilibus, & aromaticis, inde enim oris distorsio potius augebitur, ergo ad oppositum latus applicentur. Quodsi haemiplegia adest, facile innotescet ex brachio & crure immotis. In linguae paralysi gargarisma, seu collutio No. 6. commendandum saepius in ore detinendum & agitandum demum, & cucurbitulae & sinapismi inter externa valent.

§. 61. Diaeta paralyticis adornanda, ut degant sc. in aere calido, sicco & puro; cibus sit eupeptus ex carnibus assatis, inprimis ferinis, avium montanarum, aromatibus, allio, sinapi conditus; potus vinosus ex vino Madarensi, cretico, cerevisia Brunswicensi; somnus non diu protrahendus, animi pathemata violentiora fugienda; caro cocta, brassica & olera aquosa vitanda, exercitium quotidianum, praecipue vectio in rheda, quam maxime utilis, necessariave.

CAP.





Cap. VII.

DE LIPOTHIMIA SYNCOPE, ASPHYXIA.

§. 62.

Motus cordis valde imminutus cum animi defectione, ſenſibusque ſive internis ſive externis plus minusve abolitis, pro varietate gradus minoris, majoris maximique, Lipothimia, Syncope & Aſphyxia dicitur: in priori gradu pulſus valde parvus percipitur, in altero plane intermittit, in tertio denique ſudor etiam manat frigidus viscidusque, pallor adeſt ſummus, aegerque mortuo potius, quam vivo ſimilis jacet.

§. 63. Praecedere ſolent aliquando cardialgia, anxietas & praecordiorum oppreſſio, mentis perturbatio & ſenſuum confuſio, viſus obſcuratio, aurium tinnitus, vertigo; aliquando ſubito invadit & vis vitalis ſupprimitur absque ullo praemonitore, quod praecipue in ſuspenſis, ſubmerſis & ſuffocatis.

§. 64. Cauſa proxima motus cordis & arteriarum vacillans quod iterum debetur cordis multiplici laeſioni, ſc. tumoribus, polypis, oſſificationi, vulneribus, abſceſſibus ulceribusve, moli auctae vel imminutae, pectoris hydropi, pericardii ad cor accretioni, aneurismati, quae flui-

di

di nervei cursum per nervos cardiacos impediunt.

§. 65. Infinita iterum hisce addenda externa accidentaliave, sc. evacuationes magnae, nimis longa diuturnaque spiritus vini accensi vapori expositio, inanitio, unde in fine phthiseos adeo terribilis; fames, inedia, aquae evacuatio in hydropicis, puris in empyematicis; foetus exclusio in puerperis statim a partu, sustentaculo ablato neque fasciis abdomini injectis. Plethora, ventriculus ciborum copia repletus, lac in stomacho coagulatum, esus anquillarum fungorumve; animi affectus, terror, timor inde saepius ante sanguinis missionem ligato tantum brachio: abscessus seu vomica rupta in pulmonibus respirationem inhibens; eodemque fere modo asphyxiam & mortem ipsam inducunt nidores & exhalationes putridae, carbonum fumus, moschi, rosarum odor in foeminis hystericis, pomorum odor diosinerasia peculiari; exhalationes fermentantes vini, musti; morsus animalium venatorum, nervorum punctura. Tum & exercitium violentum diutius protractum, potus frigidus corpore nimis calido haustus.

§. 66. Lypothimia ut plurimum levi de causa afficiuntur hystericae, gravidae, neonati partu laborioso enixi, pueri vermibus laborantes, scorbutici, cancro & gangraena affecti, morbo diuturniore exhausti, & contagio febris mali moris correpti statim ad morbi accessionem.

§. 67.

§. 67. Quo frequentius redeunt, quovis diutius durant, quo vehementius fiunt, eo periculosiores Lypothimiae. Qui saepius & fortiter, inquit Hippocrates, sine causa manifesta animo delinquunt, subito moriuntur. In hystericis tamen saepius contingunt absque praesentaneo vitae discrimine.

§. 68. Patet autem aliquando tolli, aliquando prorsus non auferri posse. Excitandi sunt tamen omnes asphyctici & ad vitam revocandi, si possibile, atque varia arte variaque methodo pro varietate causae subjective. Ita ut a neonatis incipiamus, digitus faucibus immittentibus, nares penna irritandae. Vini calidi haustulus praebendus, corpus vino & aceto calido mixtis lavandum, epithemata calida vinosa cordi carpisque imponenda; clysma salinum injiciendum: aer ex calido ore pulmonibus inflandus, demum & mammae sinistrae praecipue suctio commendatur quam maxime.

§. 69. Pueros verminosos a Lipothimia excita panis calidi, alliique odore, spirituosis ad nares applicatis, dein anthelminticis vermes aggredere. Hystericae optime levantur a vapore nidoroso assae foetidae, plumarum combustarum, frigidae in faciem aspersione, vestimentorum solutione & omnis compressionis strictionisve amotione. Quique a phlebotomia animo linquunt, melius se habent a situ horizontali & a decubitu in lecto, quin & prophylactica juvat, quod decum-

decumbentibus in tali constitutione semper fiat venae sectio.

§. 70. De submersis quam plurimis & aqua post pauca momenta extractis exempla habentur, quod pseudomortui ad vitam revocati fuerint, tali arte nempe, dum vestimenta humida exuuntur & cineribus, arenae, sali calidis, vel & pellibus animalium recens mactatorum imponuntur, ipsi variae fiunt corporis concussiones, frictiones spinae dorsi & artuum pannis duris scopisque rigidis. Balnea tepida instituuntur, si corpus non congelatum aut a frigore rigidum flatus clausis naribus ori follibus inflatur, penna faucibus immissa vomitus proritatur, clysma aere ex fumo tabaci ope tubi anglici injicitur; vena in brachio aut jugulo inciditur non phlebotome, sed lanceola, ut profundius vulnus infligatur. Naribus spiritus salis ammoniaci supponendus orique injiciendus. Statim vero ac deglutitio possibilis, emeticum exhibendum ex solutione tartari emetici in oxymelle squillitico.

§. 71. Suffocati a fumo sulphuris, carbonum, vaporibus mephiticis, in aere libero frigidiusculo collocandi, aqua frigida in faciem inspergenda, vestes exuendi & in remotiori loco asservandi, vel potius omnino rejiciendi. Asphyctici ipsi aceto lavandi, sic etiam excitandi ab opio syncoptici, acetoque interne replendi: cucurbitulae magna flamma umbilico apponendae. Fumus tabaci hic minus aptus, rectius vero

vero censetur in suffocatis a spirituum fermentantium exhalationibus. In suspensis laqueo soluto vena jugularis incidenda. Asphycticum frigore rigidum aut congelatum, nive, glacie vel aqua frigida prudenter involvendum. Ad prima vitae signa, tepidiori jam utendum eidem scopo. Dein ut in submersis procedendum. Omnibus incassum tentatis cauterium actuale plantis pedum adhibendum vel acus sub unguem intrudenda.

CAP. VIII.

DE HYSTERICA PASSIONE.

§. 72.

Hysterica passio, inquit GALENUS, unum quidem est nomen, varia tamen & innumera accidentia sub se comprehendit. Symptomata enim omnium pene aliorum morborum aemulatur, pro varietate partis, quam occupat. Quidam uti WHYT, SYDENHAM, PURCEL statuunt eundem esse morbum ac malum hypochondriacum in viris. Atqui cum ultimus hic morbus ut plurimum infarctui viscerum abdominalium & prae caeteris lienis obstructioni tribuatur, ille vero summae nervorum mobilitati sensibilitatique, indeque spirituum ataxiae ortae, praeterea quaedam sint unicuique affectui propria phaenomena, quae

quae in altero non obſervantur, utrique peculiare placet concedere caput, praeeuntibus Hoffmanno & Trallesio, qui diſtinctum ab hypochondriaco morbum faciunt hyſtericum.

§. 73. Corporis fabrica delicatior, labes hereditaria, morbi diuturniores, evacuationes menſtruorum profuſiores, leucorrhoea, abortus frequens, intemperantia in ſex rerum non naturalium uſu, animi motus, amor clandeſtinus, veneris deſiderium, vita nimis ſedentaria, mora diuturna & habitatio in ſolo humiliori, aereque calido & humido, eruptiones cutaneae male curatae, ulcerum intempeſtiva conſolidatio, menſium emanſio, haemorrhoidum ſuppreſſio, vermes in inteſtinis nidulantes ad irritationem ſyſtematis nervoſi diſponunt ſeu ad hyſteriae cauſam proximam.

§. 74. Paroxysmum ſaepiſſime excitant inconveniens abdominis per thoraces arctiores compreſſio, odores ſuaves, quales ſpirant moſchus, Zibethum & ſimilia. Pertinent quoque ad cauſas remotiores, tumores & uteri obſtructiones, ovariorumque & aliorum viſcerum, ſed complicatiorem reddunt morbum potius ad hypochondriacum affectum referendum. Virginibus debilioribus, innuptis viduisque junioribus familiaris eſt hyſterica paſſio.

§. 75. Hyſtericae afficiuntur cordis palpitatione, ſpasmodica faucium conſtrictione, globo ſic dicto hyſterico, qui perperam utero aſcendenti

denti adſcribitur. Tremoribus, neque raro ſingultu, viſus obnubilatione, taedio, pandiculatione, ſuſpiriis frequentibus, dolore ad occiput, clavo hyſterico ſeu dolore in temporibus fixo, cum illacrymatione involuntaria, riſu invito & absque ulla prophaſi, quem iterum excipit flatus talis, quin & canum latratum & galli cantum imitantur, ut indocti incantamentum vocent & a daemone obſeſſas credant. Nullibi vehementius hoc affectu foeminas affici puto, quam Hollandiae. Memini enim, dum adhuc in patria eſſem, me plurimas peſſime mulctatas vidiſſe & inter caeteras virginem e generoſa oriundam ſtirpe, alternatim per tres integros dies aphonam, per alios tres coecam, iterumque per alios tres ſurdam omnino. Paroxysmo autem ſedato miſeram & languidam trahebat vitam, magnis divitiis undique circumfuſis, donec nova recurreret acceſſio, quod aliquoties in anno contingebat.

§. 76. Praeterea flatibus & borborigmis ſaepius vexantur, vomitu omnium ingeſtorum, alvo immorigera, abdominis intumeſcentia, odontalgia; aliquando excitatur tuſſis titillatoria ſine expectoratione, dolores colici nephritidem aemulantes, minctio difficilis. Subinde convulſiones, animi deliquium ſupervenit, quod laſſitudo, levis lumbago cum frigoris ſenſatione per dorſum aſſurgente & nervorum tremore praecedere ſolent; hoc autem animi deliquio non prorſus omni privantur ſenſu, ut plurimum enim audiunt, quae adſtantes loquuntur, at vox perit nec reſpon-

dere valent ad quaesita, pulsus est parvus, extrema frigent, facies pallet, anhelatio cum roncho, non nunquam somnus insequitur lethargicus ad aliquot dies durans: quin & vera Asphyxia seu mortis imago. Redeunt ad se pulsu sensim fortiori insurgente, colore naturali faciei redeunte cum insequente ructuum explosione, respiratione profunda, loquela. Ptyalismum nonnunquam eo gradu passas vidi post SYDENHAMVM, ut mercurio delibutas facile crederes. Sudoribus saepius solvitur accessio. Urina limpida, pallidissima signum pathognomonicum paroxysmi hysterici.

§. 77. Cura altera in paroxysmo, altera extra paroxysmum instituenda. Venae sectio in paroxysmo vehementiori & ubi adest plethora non inutilis aliquando. In clavo hysterico pediluvia, tempora aceto lavanda, hoc quoque per nares attrahendum. Clysma ex aceto aquae mixto, solutione assae foetidae laudatur. Pro vomitu sedando valet antemeticum Riverii. In summo eretysmo & abdominis meteorismo emplastrum de galbano umbilico apponendum. Opium summum remedium est in hoc affectu. E Lypothimia excitandae hystericae nidore assae foetidae, aqua frigida in faciem conspersa; concursum hominum & accessum plurimarum foeminarum simul praepediendo, ut atmosphaera, in qua versatur aegra, purior maneat. Situm horizontalem commendando. In convulsionibus cura adhibenda, ne ca-

put

put durioribus allidant, caeterum manuum pollices leviter non vi diſtendendi.

§. 78. Extra paroxyſmum laudatur exercitium modicum & praecipue equitatio in aere ſicco puro: pro debilioribus conducit funis oſcillatio; uſus continuatus corticis peruviani, aquarum chalybeatarum & balneorum frigidorum. Specifica hyſterica ſunt aſſa foetida, ſagapenum, moſchus, caſtoreum, opium, oleum cajaput prudenter adminiſtrata. Ubi febris adeſt, nihil praeſtantius quam decoctum ſaturatum corticis cum liquore anodyno minerali. Caute cum ſanguinis miſſionibus, emeticis & purgantibus caeterum in hyſtericis mercandum. Potus thea nocet, tutius conceditur interdum poculum vini vel cereviſiae generoſioris. Legitimum innuptis, viduis virginibusque junioribus ſuadendum matrimonium.



CAP. IX.

DE HYPOCHONDRIACA AFFECTIONE.

§. 79.

Antequam ad deſcriptionem hujus morbi accedamus, neceſſe eſt, quam maxime diſtinguere inter hypochondriam ſpasmodicam mereque nervoſam & ſine materia, atque hypochondriam

cum materie dictam: haec enim potius ad melancholiam pertinet, de qua mox, materiam atrabilariam pro causa agnoscens, viscera abdominalia infarcientem & systema venae portarum occupantem. Illa potius convenit cum malo hysterico, quatenus in utroque symptomata varia excitantur, unice systemati nervoso irritato tribuenda. Cujus causa vel in ipsa solidorum fabrica, vel forsan in aliqua lymphae depravatione quaeritur, deque hoc affectu recte dicit Mead, non unam aliquam sedem habet malum, quod hypochondriacum dicitur, sed totius corporis est morbus.

§. 80. Saepissime morbi latet origo in acido copioso primas obsidente vias, vita otiosa, diaeta crassa dura, acida, leguminosa flatulenta, studiis continuis, lucubrationibus longis, materia arthritica, quae chilificationem turbant, sanguinem creant vapidum, lympham inertem & remoram injiciunt sanguini circulanti in systemate venarum portae.

§. 81. Hypochondriaci multum eructant acidi: anxietatibus, spasmis, doloribus ventris, flatibus, alvo constipata, aliquando nimis laxa, stomachi languore, abdominis inflatione cum praecordiorum oppressione, pulsu exili, colore faciei fusco, calore in volis manuum, hecticorum ad instar digestionis tempore, aliisque haud raro extraordinariis vexantur symptomatibus. Appetitus ciborum modo languet, modo viget nimis, murmura audiuntur intestinorum, liquor limpi-

limpidus subsalsus cum nausea saepe ex ore fluit.

§. 82. Praeterea taedio summo afficiuntur, morosique sunt, de leviori incommodo queruli nimis, minimique mali impatientes, valdeque solliciti & anxii de propria valetudine, de vitaque se certo periclitari credunt, desinit aliquando in melancholiam & maniam. Urinam saepe emittunt aqueam. Certa experientia mihi constat hypochondriacos vere & quidem magis autumno pejus sese habere. A coena pleniori haud satis tranquille dormire, insomniis tetris tristibus torqueri maneque evigilantibus caput dolere. Flatus catervatim sursum ac deorsum explosi, subinde levamen omnium afferunt symptomatum, interdum tussi sicca vexantur diucontinuante.

§. 83. In curatione conducit primum primas expurgare vias decocto No. 7. in ipso paroxysmo validiori, solvetur alvus clysmate emolliente, vel cathartico salino, aut haustu aquae Seidlicensis; nihil enim aeque conducit quam alvus quotidie soluta. Venae sectio aliquando necessaria in plethoricis saltem, quaeque in similibus semper prophylactice circa aequinoctia instituenda; evacuatis evacuandis, tonus fibrarum firmandus ope martialium, aquarum mineralium, corticis peruviani, radicis ligni quassiae ab Anglis laudatae. Corporis exercitii, cui scopo nihil salubrius quam assidua equitatio. Per fonticulum in brachio apertum curavi aliquando hypochondriacum.

§. 84. In Diaeta, vifcida, dura, tenacia fumove ficcata fugienda, ab acidis abftinendum, nec non leguminofis flatulentisve. Studia protracta praecipueque lucubrationes cane & angue pejus vitentur.



CAP. X.

DE DELIRIO ET MENTIS ALIENATIONE.

§. 85.

Mentis aberrationes aut Hallucinationes pertractaturus, de delirio in genere quaedam in antecesfum praelibare licet. Idea autem nata in homine vigilante, objecto externo haud respondens, fed ab interna cerebri difpofitione mutata pendens absque voluntatis imperio delirium eft.

§. 86. Variae quidem deliriorum dantur fpecies, quibusdam enim concomitatur febris, uti in phrenitide & aliis febribus continuis five putridis five non; quaedam iterum funt prorfus fine febri iterumque dividuntur, five febrilia, five apyreta in ferocia & mitia. Ex febrilibus ferox eft delirium in phrenitide aliisque febribus inflammatoriis; mite & obfcurius in febribus putridis & malignis, atqui de hifce oportuniori jam egimus loco.

§. 87.

§. 87. In non febrilibus ferocia sunt Mania, Hydrophobia, Nymphomania, Tarantismus, mitius vero est Melancholia. Praeter delirium febrile, phraenitidem & hydrophobiam, caetera sunt plus minus chronica, aequabilis spirituum fluxus hic vel perturbatus, vel horum copia imminuta vel demum horum indoles depravata est.

§. 88. Haec iterum induci possunt a plagis & ictibus capitis: animi passionibus gravioribus, sero acri cerebrum vellicanti, evacuationibus quibuscunque profusioribus, studiis severioribus, morbis vires exhaurientibus. A febri intermittente notavit SYDENHAM maniam non evacuantibus, sed cortice peruviano curatam, similem casum habui. A philtris, narcoticis, venenis, ab atrabili, a morsu tarantulae, canis rabidi, aliorumque animalium venenatorum, a materia acri in cerebro retenta, uti in fine variolarum phthiseosque. Caeterum causae non semper in cerebro existunt, sed in caeteris corporis partibus a cerebro remotis, uti patebit in singulorum descriptione.

§. 89. Praecipuae Delirii species sunt: Melancholia, Mania, Nymphomania, Daemonomania, Tarantismus, Hydrophobia & Sonambulismus. Melancholia delirium est constans circa unum, variam sibi imaginantur aegri ob phantasiam depravatam, sic sunt, qui lupos, qui canes se credunt, inde lycanthropi & cynanthropi vocantur. Alii desiderio in patriam redeundi fla-

grant inſuperabili, qui affectus Noſtalgia nuncupatur. Mania delirium eſt ferox chronicum, ſine febri ex omnimoda mentis alienatione, cum audacia, miroque virium incremento. Nymphomania in foeminis eſt inſatiabilis coitus appetentia; idem affectus in viris ſatyriaſis dicitur Daemonomania, Delirium. Simulatum eſt aut verum, quo ſe a Daemone, malove genio obſeſſos credunt aut fingunt aegri. Varia praedicant ſupernaturalia, vates agunt, linguas ignotas antea loquuntur. In Tarantismo ſaltandi amor, in Hydrophobia aquarum timor fit. Sonambuli dormientes tanquam vigilantes varias edunt actiones variisque ſeſe exponunt periculis.

§. 90. Cura vario inſtituenda modo, nunc minis, verberibus, nunc verbis blandis, humanitate, ſeveriorique interdum diſciplina, aliquando immerſio in aquam frigidam valet, aliquando ſalivatio mercurialis, camphorae uſus diuturnus. In ſero acriori veſicantibus utendum ad aures, cauterio vertici appoſito; in venenis ingeſtis emetico, purgantibus: in plethoricis venae ſectio in talo, jugulari. Interdum conducunt pediluvia tepida, dum interim epithemata frigida capiti imponuntur. In capitis ictu pertebratio ejusdem, effuſique ibidem liquoris evacuatio; in tarantiſmo chorea & repetita ſaltatio, qua copioſe fluat ſudor. In inanitione omnia evacuantia nocent, ſed roborantia, replentia iisdem potius ſubſtituenda.

CAP.

Cap. XI.

DE MELANCHOLIA.

§. 91.

Triſtitia metusque diu absque cauſa manifeſta perſeverantes Melancholiam ſiſtunt: nonnunquam riſus adeſt intempeſtivus, incongrua hilaritas. Si iisdem Delirium adjungitur pertinax circa unum idemque objectum nulla febri comite, Delirium melancholicum Medicis dicitur, quod ſi verſatur circa deſiderium inſanum plane reviſendi patrios lares, quod Helvetiis familiare, Noſtalgia vocatur. Si vero ex ſingulari phantaſiae perturbatione in canes aut lupos aegri ſeſe transformatos eſſe putant, latratum ululatumque horum animalium imitantur; alios interdum ſubito inſiliendo mordent & noctu praecipue monumenta mortuorum oberrant vel aperiunt, Lycanthropia & Cynanthropia audit. Tali ſpecie Melancholiae laboravit quondam Nabuchodonoſor Babyloniorum Rex, dum ſe in bovem mutatum eſſe imaginabatur & ejusdem more herbam ſeu gramen comedebat.

§. 92. Ex dictis patet, quam varia abſona ſibi perſuaderi poſſunt Melancholici, quidam ſe Prophetas, Reges fingunt aut revera eſſe produnt. Vidit Boerhavius hominem, qui putabat ſe eſſe

Deum infinitum & qui mandata ſua dabat tanta cum perſuaſione & furore affirmandi, ut coerceri nullo modo poſſet, ſi vel minimum dubium ipſi circa hanc rem proponeretur. Quidam mortuos, quidam ſe fictiles, vitreos ſe credunt, caeterum ſuſpicioſi timidi, puſillanimi & anxii ſunt, inſidias ſibi parari ab omnibus imaginantur, unde tenebras, ſolitudines amant, lucemque fugiunt, alii e contra locos caliginoſos timent, hominum coetus vitant, parum loquuntur, inediae pertinaciter patientes, metu ne de medio tollantur veneno; ſaepius voraces admodum ſunt cum ſumma macie; facile lacrymantur, aliquando ſupra modo hilares, cantus, riſus & ploratus viciſſim alternantes; vigiles interdum manent ad plurimos menſes, iterum ſomnum profundiſſimum octiduanum notavit Klein in melancholia. Praeterea cutis melancholicorum eſt pallida, flava, nigra, pulſus tardus, reſpiratio lenta, ſuſpiroſa non raro. Extrema frigent, urinam modo pallidam, modo turbidam, modo fuſcam & nigricantem emittunt. Sanguis eductus nigreſcit, ſerum intenſe flaveſcit, corporis pigritie, ſumma tamen conſtantia in ſtudiis laborioſis gaudent. Frequenter tenuem excernunt ſputum.

§. 93. Sanguis craſſus nimis, humores ſic dicti atrabilarii & ſucci terreſtres in vaſis circulantis lente quidem, Melancholiae eſſentiam ſeu fundamentum aut materiem conſtituere videntur. Qui gignuntur a variis, quae fluidiſſima diſſipare valent, uti ſtudia protracta, meditationes profundae

fundae, nec non curae, amor, mentis attentio, circa idem objectum diu occupata. Vigiliae nimiae, religio seu superstitio, animi affectus vehementiores, tristes praesertim, neque raro subitum & impraevisum gaudium, quod & aliquando mortem inopinatam attulit, corporis exercitium, immodicum, nimiaque defatigatio in aere admodum sicco & calido, seminis profusio coitu immodico vel & detestanda Onania; victus crassus, durus, salitus, glutinosus, leguminosus, farinaceus cum vita sedentaria, vina austera, adstringentium medicamentorum abusus, venena saturnina lente corpus destruentia; morbi acuti seu chronici bona crisi haud soluti. Dum haec scribo, recordor, Medicinae Studiosi diligentissimi, qui post dysenteriam toleratam melancholicus factus est; amici incusant negligentiam & repugnantiam invincibilem in evacuantibus assumendis. Numerantur quoque inter remotiores causas mensium emansio, scabies, tinea retropulsa, membrorum truncatio; dispositio nativa à parentibus melancholicis, nimis parca potulentorum assumptio: spirituosorum usus immoderatus, aeris humida nebulosa ac diuturna pluviosa constitutio.

§. 94. Melancholia saepe transit in maniam, epilepsiam, apoplexiam, hydropem, phthisin funesto ut plurimum eventu; quin saepissime mortem, quam adeo formidant, sibi ipsis inferunt, uti familiare admodum Anglis, qui taedio vitae correpti testamentum conscribunt & litteras peracto

suc-

ſuccidio valedictorias amicis mittendas exarant: aliquando ſponte ſolvitur morbus, haemorrhoidum fluxu, cutis eruptione ſcabioſa foeda, nonnunquam ad vitae durationem refractarius manet. Prae ceteris Melancholiae patent, temperamento ſicciori praediti, graciles mares in conſiſtente aetate; & qui ingenio pollent perſpicaciori.

§. 95. Cura primaria conſiſtit, ut caute objecta aſſidue mutentur, inde peregrinatio maximi uſus in melancholia, idea contraria praedominanti inducatur, ſpe, blanda conſabulatione excitetur animus, conſolatione dulci & perſuaſiva erigetur. Muſica ſuavi leniatur affectus Davidis ad exemplum, qui citharam pulſando melancholicum exhilarabat Savlvm. Noſtalgia affectum quantocius ad patrios relegetur focos. Hic enim nihil aliud juvat, expertus loquor.

§. 96. Medicamenta quod attinet, non contemnendae veniunt pilulae ex aſſa foetida, myrrha cum pauco mercurio. Decoctum anagallidis laudat Werlhof, camphoram in majori doſi Kinneir. Si vero, uti fit aliquando, intemperies dominatur, acida conducunt, ſapo venetus, oleum tartari p. d. ad guttulas aliquot in vehiculo aquoſo, liquor terrae foliatae tartari, tartarus ſolubilis. Alvus, quae naturaliter ſegnis melancholicis, ſollicitetur ſero lactis graminei, addito melle magna copia ac diu epota. Vel exhibe non numquam mannam, pulpam caſſiae, tamarindos, magneſiam cum rheo.

§. 97.

§. 97. Diaetam quod ſpectat, aer praeprimis commendetur tepidus & humidus. In victu ſeligantur piſces ſaxatiles, gallinarum carnes, lactuca, malva, cichorea, borago, ſpinachia, taraxaci radices, cucumeres, fructus horrei, maturi, uſusque fragorum, ceraſorum. Quibus materia atrabilaria viſcera abdominalia obſidens potentiſſime diſſolvitur. Oryza, hordeum, hauſtus vini rhenani concedatur, ſomnus prudenter concilietur longior levioribus anodynis. Solidorum vires augentur ope exercitii modici, equitationis praecipue, uſu balneorum frigidorum, potuque aquarum medicatarum, cauteque vitatis §. 93. enumeratis.



Cap. XII.

DE MANIA.

§. 98.

Melancholiae Mania, ut cum Willisio loquar, in tantum affinis eſt, ut hi affectus ſaepe vices mutent & alteruter in alterum tranſeat. Trallianus ait, Maniam nihil aliud eſſe, quam melancholiae intenſionem ad majorem feritatem. Eſt autem Mania, delirium ferox ſine febri, ex inordinato motu vehementiorique ſpirituum animalium in cerebro.

§. 99.

§. 99. Causae remotiores vigiliae nimiae, curae animi, iracundia frequens, proclivitas ad venerem immodica, evacuationes solitae suppressae vel neglectae, aestas admodum sicca, potuum calefacientium abusus, injuria diu corde pressa, repulsa accepta, lac repulsum in puerperis, ulcus consolidatum, impetigo repercussa, mensium emansio, scabies, tinea regressa, quin & seminis nimia retentio, teste SCHENKIO, venena, belladonna, datura. A vermibus in cerebro Maniam accidisse testantur observationes anatomicae. A poculo amatorio, ut de LUCRETIO fertur poëta.

§. 100. Mania est continua vel periodica, lucida relinquens intervalla & ad certa mensis tempora recurrens Lunaticos sic dictos constituit, quod etiam de Epilepsia aut morbo sacro dictum est, quorum exempla habentur in Evangeliis. Caeterum circa solstitia recurrere amat periodica, estque facilior curatu quam continua, sic mania, haereditaria, annosa nimis, ut quae a prima juventute oborta, incurabilis fere. Saepe in fatuitatem tota vita durabilem abit; hydrope vel quartana superveniente, curata fertur. Epilepsia, convulsio, sopor supervenientia mortem praesagiunt.

§. 101. Disponit ad maniam labes hereditaria, aetas juvenilis, adulta; sexus masculus, plethora, animi arrogantia, superbia. Conspicuus venae in cubitu pulsus ex HIPPOCRATE. Loquacitas insolita Maniae interdum praecursor, vel

garru-

garrulitas incongrua praeter morem omnia per fas nefasque miſcendo quadrata rotundis ſine ulla cohaerentia.

§. 102. Furore accedente truci admodum ac torvo adſpectu fiunt aegri, per cubiculum diſcurrunt, abſurda effutiunt, vociferantur; furibundi in adſtantes violentas inferunt manus, veſtimenta dilacerant, magnisque viribus pollent, ut a fortiſſimis quamvis contineri non poſſint. Interdum inſidias ponunt, ut inopinantibus minusque cautis damnum inferant, obvios quosvis aggrediuntur, nudi ſine pudore ſine aeris intemperiei ſenſatione incedunt. Sunt enim ad miraculum fere, vigiliarum, frigoris inediaeque patientes. Non raro optimos cibos oblatos rejiciunt & foeces alvinas foedo ſpectaculo devorant quam avidiſſime. Multi poſt impetum & ferociam in cachinnos ſolvuntur, alii in minas & jurgia prorumpunt, alii blandis verbis circumſtantes alliciunt & laqueos tendunt.

§. 103. Cubiculum, in quo decumbunt Maniaci, obſcurum ſit oportet, cuſtodes iisdem robuſti adhaereant ſemper, ne ſibi vel alteri noceant. Eidem ſcopo vincendi ſunt aliquando vinculis laxioribus, firmioribus non admodum arctis ligaturis injectis, ne quid hinc capiant detrimenti, aer, quem reſpirant, temperatus ſit, potius ad frigus quam ad calorem vergens. Cibi dentur humectantes, potus ptiſana, aqua pura vel cereviſia tenuis, ſerum lactis.

§. 104.

104. Medicina si quae valet, in venae sectione repetita, in talo, brachio aut jugulo, arteriotomia in arteria temporali instituta, inprimis consistit, dein in cucurbitulis cum vel sine scarificatione, humeris & occipiti adhibendis, hirudinibus ad tempora vel ad anum, ubi dispositio haemorrhoidaria, applicandis. Tum ad emetica & cathartica fortiora adcedendum; epispastica ad plantas pedum apponenda; balnea tepida vel prorsus frigida, ratione anni temporis usurpanda, idque non semel sed saepius; sic & pediluvia tepida cum frigida capitis ablutione. Cæterum nunc verbis, nunc verberibus, humaniori tractatione vel & severiori disciplina utendum. Neque omittenda, quae superioribus capitibus de Delirio & Melancholia dicta habentur.

§. 105. Interna medicatio vero potionibus aquosis refrigerantibus cum aceto, succo citri, nitroque aggredienda. Acetum stillatitium ad unciam semissem laudatur a LOCHERO aliquoties de die exhibitum. Remedia camphorata in majori dosi commendantur; emulsiones ex seminibus melonum, papaverisque, quae meliores censentur ad somnum conciliandum in hoc morbo quam opium, a quo saepius delirium augetur, turbaturque potius mens amentium. A moscho ad grana XV. pro dosi vidit VAN SWIETEN pulchrum effectum in nobili juvene maniaco.

Cap. XIII.

DE DAEMONOMANIA.

§. 106.

Daemonomania Maniae eſt ſpecies ficta vel vera, qua affecti hominesque ſceleſti ac vafri ſe obſeſſos a malo genio daemone praedicant, cumque eo conſuetudinem habere, pactumque cum eo iniiſſe imaginantur. Sunt, qui diabolum in corpore habere putant. Aliquando easdem ac Mania agnoſcit cauſas, praeſertim vermes.

§. 107. Caeterum ut plurimum ficta eſt affectio ſagis, magis & praeſtigiatoribus, male moratis pueris variis de cauſis moralibus; denegatur etenim diabolo potentia nocendi vel agendi in corpora humana a Theologo Becker in mundo faſcinato, quamvis cel. Hoffmanno aliter viſum.

§. 108. Quadruplex plerumque datur, Vampiriſmus ſcilicet, Coribantismus, Fanatismus & Magia. Vampirismus, quo praeſtigiatores vulgo perſuadere volunt, mortuos reſuscitari redituros ad cognatos noctu, ut ſanguinem ſugant. Qui hac depravata imaginatione affecti ſunt, horrent, timent & mira ſibi fingunt.

§. 109. Coribantismus ſimulata & frequentiſſima Daemonomaniae eſt ſpecies, quo epilepſi-

am & morbos convulſivos fingunt. Quae inde ſecundum Aretaeum morbus ſacer olim dicebatur, quoniam daemon hominem ingreſſus putabatur. Atqui nihil ab humano hic alienum. Linguas, quas non didiciſſe perhibent, loquuntur, futura praedicunt, arcana, myſteriaque revelant; indolentiam ſimulatam & ignis applicati tolerantiam a ſceleſtiſſima muliere refert de Haen, qui tamen dein integrum tractatum conſcripſit de Magia, ut ejus certitudinem morborumque Daemoniacorum probaret.

§. 110. Fanatismus eſt, dum aegri nimio zelo erga religionem & vitae ſanctitatem, commercium habere credunt cum angelis, ſibique coeleſti apparere ſpiritus interdum. Opii uſu interno & externo Delirium excitatur Magicum, quo res varias praeternaturales praeſtare poſſe exiſtimant Magi, pacto inito cum Daemone.

§. 111. Daemonomania a vero morbo, arte medica rite, uti Melancholia veraque Mania aut Epilepſia, curanda. Ficta aut ſimulata, minis, objurgationibus, verberibus, dolo medico, pia fraude, amphoris aquae frigidae injectis, ferris candentibus adhibitis ſubito inopinantibus ignarisque.

Cap.





Cap. XIV.

DE NYMPHOMANIA.

§. 112.

Nymphomania eſt furor, quo foeminae praecipue venerem appetunt, deque ea ſola cogitant, neque ſatiari ea poſſunt

— adhuc ardens rigidae tentigine vulvae
& laſſata viris nondum ſatiata receſſit.

idem morbus in viris dicitur ſatyriaſis, quorum haſta ſemper riget, frequentius vero in foeminis occurrit, ideo peculiari nomine Nymphomaniae, Metromaniae indigitatur. Cauſa proxima videtur conſiſtere in ſtrictura & eretismo genitalium.

§. 113. Cauſae remotiores menſium emanſio, acrimonia bilioſa, herpetica, irritatio genitalium impudica, ſtimulantia utero applicata, incautus cantharidum uſus, eſculenta acria, potulenta calida Spirituoſa; quibus addenda cogitationes libidinoſae, lectiones laſcivae, cantilenae amatoriae, adoleſcentum illecebrae, quin & ſevera aut rigoroſa parentum educatio.

§. 114. Virgines nubiles, amaſium habentes, quo potiri non licet, meretrices a coitu vi aut authoritate cohibitae, foeminae vegetae frigido ſeni vel impotenti junctae, viduae juniores

 ſtre-

ſtrenuo in veneris caſtris milite orbatae, virgines ad caſtitatem perpetuam damnatae vel voto Deo ſacrae, prae caeteris ſurori uterino manent obnoxiae.

§. 115. Tres praecipue conſtituuntur morbi gradus. In primo gradu triſtes ſunt, clamque ſaepius plorant, forſanque audito ſermone minus pudico taciturnae erubeſcunt, vigiliis torquentur, languent, demumque vero afficiuntur marasmo. Ad juvenum conſpectum ſuſpirant, color faciei continuo mutatur, arteriae fortiter micant, tremunt artus, mugitus audiuntur in abdomine.

§. 116. In ſecundo gradu, laſcivientibus oculis virum obvium cupide ſpectant, blandientem laetae arrident, manuſtupratione contaminantur ſaepe ſolitariae

illud ſaepe facit, quod ſine teſte facit

vel inter ſodales haud probatae virtutis manus ſceleſtas auxiliatrices ſibi invicem ferunt.

§. 117. In tertio demum gradu, depoſito omni pudore, obſcoena loquuntur, blanditiis mares ad coitum ſollicitant: furore demum correptae turpibus quosvis obvios provocant, recuſantes dicteriis, injuriis pugnisve impetunt, vel & nudas ſe ad opus exhibent. In primo ſtadio non facile, in altero difficilius, in tertio difficillime curatur. In hoc turpitudinis labyrintho conſtitutae nullo fere Ariadneo filo extricari poſſunt.

§. 118.

§. 118. Cura autem in principio inſtituitur cauſas vitando morales remotiores §. 113. recenſitas; phyſicas & morboſas emendando & corrigendo, commercium & familiaritatem inſtituendo cum ſodalibus prudentioribus, animum occupando, negotia domeſtica illis demandando.

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus
Contemptaeque jacent & ſine luce faces.

Caeterum maritus robuſtus optima medicina, „nimirum propter continentiam incontinentia „neceſſaria eſt, incendium ignibus extinguitur.

§. 119. Ubi vero huic medicinae nulla opportunitas, nitrum, camphora, emulſiones frigidae, purgantia leniora, phlebotomia, ſerum lactis, acetum lythargirii, externe ad pudenda appoſitum, balnea tepida ab authoribus commendata habentur. Diaeta ſit refrigerans ex oleribus mollioribus, fructibus horraeis, culcitris durioribus, ſtramineisque incumbent aegrae.



Cap. XV.

DE SOMAMBVLISMO.

§. 120.

Affectus, quo dormientes ſomno profundo vigilare ſibi imaginantur, motusque exercent muſculares, a lecto ſurgunt, & in varia pericu-

la ſe immittunt, tecta aliaque loca altiora ſcandendo & ad fluvia tendunt. Aquas hauriendo Somambulismus dicitur. Sunt, qui loquuntur tantum variasque edunt actiones, e lecto haud ſurgentes. Caeterum ſpecies videtur gravior incubi ſeu Ephyaltis, de quo faſciculo altero actum.

§. 121. Morbo favent gignendo coena plenior, tegumenta & ſtragula ponderoſiora, decubitus ſupinus, capite nimis depreſſo, ſtudium a coena ſeverius, ebrietas, opiatorum uſus. Cura conſtitit in paroxysmo praecavendo, in periculo praepediendo, affectis caute excitandis.

§. 122. Optime praecavetur paroxysmus vitatis cauſis occaſionalibus, electriſatio ad perfectam curationem commendatur. Periculum praepeditur, feneſtras probe claudendo, januarumque claves caute abſcondendo, ne praecipites ſe dare aut foras exire poſſent. Ancillam novi ſomambulam, quae domi portas clavi aperiebat, ſcalas deſcendebat quam plurimas, a ſummis aedium tectis ad atrium usque, aquam copioſam hauriebat, una altera vice pavimentum tergebat lavabatque; omnibus rite peractis ad lectum ſe iterum componebat pacate dormitura hac ſaltem nocte. Curata fuit clavibus caeterisque ad opus neceſſariis aliquoties abſconditis. E ſomno excitantur nomine vocati, aut duro corpore, vel amphora aquae plena ante lectum appoſitis, quo

ſur-

ſurgentes vel ad prius impingant, vel frigidam ingrediantur.



Cap. XVI.

DE TARANTISMO.

§. 123.

Difficile quidem eſt, de re non viſa ſcribere, praeſertim cum res ipſa in dubium vocetur a ſcriptoribus fide dignis, ab aliis iterum tanquam ab autoptis deſcribetur. Relata igitur & quidem breviter referam, praecipue dum noſtris oris ignoratur, qui Apuliae dicitur endemius Tarantismus, aut morbus ſaltatorius. Baglivium autem Meadiumve adeat, qui certiora de hoc affectu deſiderat.

§. 124. Eſt autem Delirium melancholicum, Nymphomaniae ſatis ſimile, dum foeminis familiarius, ſive verum ſive fictum quam viris; quo a Tarantula demorſae ad ſaltus immodicos motusque artuum continuos ut plurimum cum obſcoenorum eventilatione, modulamine audito muſico excitantur.

§. 125. Periodice recurrit quolibet anno, circa tempus ſcilicet, quo morſus inflictus, moerore, ſolitudinis amore, reſpirandi difficultate, ſomnolentia praecedentibus, inſequente dein furore non ſine ululatu. Tunc demum muſico inſtru-

mento ad ſaltus & choreas aguntur continuos per aliquot horas, donec fatigatae quieſcant parum, iterumque ad ſaltus redeant, quibus demum ſudore copioſo profluente. Pro integro ſanantur anno, aliquando verum maraſmo & febricula pereunt lenta, aliquando neglecta methodo medendi in icterum, melancholiam tranſit.

§. 126. Saepiſſime a mendicantibus aliisque ſortis vilioris hominibus, nuncupandae largioris eleemoſynae cauſa, vel ex mera petulantia, nec non a virginibus coelibatus voto adſtrictis ſimulari ſolet. Praeterea conſtitit experimentis Romae a SARAO aliisque inſtitutis, nunquam tale ſaltandi deſiderium Tarantula demorſis naturaliter oriri, ſed ex mentis praeoccupatione.



CAP. XVII.

DE HYDROPHOBIA.

§. 127.

Formido aquarum cum difficultate, immo & impoſſibilitate abſoluta liquidi potius quam ſolidi deglutiendi a morſu canis rabidi ut plurimum, Hydrophobiam & rabiem caninam ſiſtit. Rabies canina vero perperam vocatur, cum Lupina, Vulpina, Felina immo & humana dari poſſit, poſt canes vero a felibus praecipue infertur. Epitaphium extat referente SCHENKIO.

Hoſpes

Hofpes difce novum mortis genus improba felis
Dum trahitur, digitum mordet & intereo.

§. 128. Non tantum a morfu animalis rabiofi oritur, fed & per contagium communicatur rabies. A fpumae perfufione, ofculo, ex fola manus intromiffione in os animalis venenati, quin & a contactu veftimentorum infectorum, praecipue dum lacerata refarciuntur, futuras uti fit lingua lambendo, ex halitu oris infecti, in fani pulmonibus refpirando adducto, ex ufu lactis, carnis animalis rabiofi rabiem ortam memoriae proditum eft. De evidentia enim mihi nihil conftat, nunquam enim, quod inter laeta fauftaque, affectum vidi.

§. 129. Sponte etiam absque morfu aut contagio praevio obortam perhibent, nec impoffibile prorfus videtur, cum animalia absque morfu aliorum praevio rabie afficiantur. Ab ira, cerebri commotione, exceffum in potu fpirituofo mox infequens habetur. Inde quidam affirmant, aliquando fymptoma effe aliorum morborum; quidam iterum primarium fubinde effe pathema. Caufa proxima videtur confiftere non in faucium inflammatione, in angina enim nec folida nec liquida fine fummo dolore deglutiri poffunt, nec femper fimile quid apparet in demorforum cadaveribus, ergo in faucium fpasmodica fumma conftrictione, irritabilitate & fenfibilitate maxima, quae potulentis non ita folidis offis viam intercludit.

§. 130. De tempore, quo rabies oritur, varia affirmant authores, sunt, qui diu latere, per menses, per annos virus in corpore, antequam signis se prodeat deleteriis putant, e contra prostant exempla a veneno simul ac suscepto statim pessima inducente symptomata. Atqui ut plurimum, post vulnus inflictum, quod quidem facillime & quidem invito medico sanatur, tragoedia luditur intra trigesimum aut quadragesimum diem, aliquando citius.

§. 131. Pro varietate modi, morsu nempe vel contagio aut sponte, quo contractum virus, vario etiam modo se manifestare solet; si enim a morsu, pars demorsa dolere incipit, prurit & tumet, quod si a contagio aut sponte, haec desunt, sequentia vero omnibus similia & aequalia queruntur, nempe de artuum lassitudine, tristes fiunt, noctes agunt inquietas, cum insomniis & pavoribus, pressio adest pectoris cum animi defectione, pulsus intermittentia, tremore, sudoribus frigidis. Moleste ferunt aerem, quamvis serenum, iracundia vexantur sine causa.

§. 132. Caeterum morbi decursu objectorum in sensus impressiones molestae omnibus sunt, dolorem afferunt, attactus levior laedit, strepitus parvus offendit, terrore afficiuntur vel a minimo transeuntium motu, lucem praecipue fugiunt, pulmones ab aere frigido laeduntur, praeterea adsunt nausea, anorexia, calor & sitis cum liquidi deglutiendi difficultate, nec sine suffocationis periculo, quod saepe mirantur potum

aut

aut aquas adhuc non timentes. Haec omnia die jam proximo increſcunt cum taedio & odio ad aſpectum liquidorum, qui jam non ſine convulſionibus fit, guttulae ne quidem deglutionem concedentibus.

§. 133. In hoc ſtadio febris oritur cum pulſu veloci, vigiliis voce rauca vel latratu, ſalivae in ore collectione in adſtantes exſpuendae, perpetuoque priapismo cum ſeminis ejaculatione urinaeque ardentis emiſſione, quae mortem ad binos dies praecedunt: accedente demum delirio furibundo & rabioſo, quo nec cariſſimis parcunt, ſed terribili horridoque adſpectu cum latratu & mordendi conatu familiares quosvis obvios aggrediuntur, magnisque viribus muſculorum in tali furore pollent. Aliquando Delirium eſt taciturnum & mortem expectantes monent adſtantes, ut ſibi caveant, rogantque, ne amplius moleſti eſſe velint, anxie reſpirando, convulſi inter tres quatuorve dies neque raro citius moriuntur.

§. 134. Cum vero ut plurimum morbus originem habeat in morſu canis rabidi, operae pretium erit, criteria & ſigna venenati animalis tradere, ut idem fugiamus de medioque tollamus & cura vulneri inflicto apta paretur. Signa autem canis rabidi ſequentia ſtatuuntur. Parum latrant, parum blandiuntur, ſolitaria quaerunt loca, caudam & aures demittunt, percuſſi nullam edunt vocem, nares mucum depluunt, ſputum copioſum valde ſpumoſum ex ore manat, lingua caenoſa

nosa pendula, oculi tristes, lacrymantes, cibum & potum omne respuunt: cursitant oblique hinc inde, obviis frendentes inhiant. In initio hero parcunt, dein ipsum herum mordent: canes sani insanum naturali fugiunt instinctu. Ardoribus canicularibus canes rabidi fiunt. Virus in saliva consistere videtur, quod salivam demorsi infectat, inde morsus in facie citius excitat rabiem.

§. 135. Vulnus a cane rabido inflictum incidendo ampliandum, cucurbitulae apponendae, ferro candente utendum per multos dies adfluxum, apertum servandum & ad suppurationem perpetuam ducendum, unguento basilico cum mercurii pauco praecipitati rubri, pulvere cantharidum; muria ex sale marino & aceto ad sextum usque mensem quotidie fovendum pars demorsa supra vulnus ne virus ulterius ascendat, nihil vero tutius quam membri resectio, ubi possibilis. Vestimenta aliaque infecta sollicite abjicienda.

§. 136. Caeterum quae ad morbi rabieive ipsius curationem laudantur, incerta valdeque fallacia hucusque inventa fuere & si quid valent equidem prophylactice cuncta tentanda, antequam ad apicem summum perventum fuerit malum. Nam de illis ubi medicina nullam fert opem habet. Ovidius:

Nec formidatis auxiliatur aquis.

§. 137.

§. 137. Commendantur tamen cineres cancrorum fluviatilium, ſpongia cynorrhodi, cantharides tanquam potentiſſime diuretici, cuique ſcopo ſpecifice laudantur ſcarabaei majales, lichen cinereus terreſtris, teſtae ovorum calcinatae, aſſa foetida, radix Valeriana ſylveſtris, opium, moſchus, cinnabaris nativa. In mercurio repertum antidoton quidam putarunt, ideo & interne & externe ad ſalivationem usque exhiberi volunt. Methodo antiphlogiſtico alii utuntur ob febrim ſatis validam quidem, quae ſub finem morbi ſaepius adoritur. Inſtituunt ergo ſanguinis miſſiones repetitas, exhibent emulſiones nitroſas, clysmata adhibent ex decocto tamarindorum veſicantiaque quidam balnea frigida, quidam tepida & pediluvia depraedicant, nec non ab antiquis jam temporibus laudata, in aquam marinam non opinantis oculisque velatis projectio, merſumque ibidem per pauca minuta detinere, in malo tam diro haud contemnenda. Demorſi in diaeta abſtineant a carnibus, vino, ſpirituoſis, aromaticis; alvum ſervent laxam, cibis tenuioribus vel & clysmatibus; pediluviis ſaepius utantur a primo tempore, quo demorſi fuere.

Cap.





Cap. XVIII.

DE OBLIVIONE SEV MEMORIAE LAPSV.

§. 138.

Nexus idearum praeteritarum cum praefentibus dicitur Memoria, quae fi laeditur ita, ut vel minus accurate vel prorfus non revocare liceat ideas antea in mente conceptas, Graecis Amnefia, Latinis oblivio audit, & ab imbecillitate nervorum, fpirituum inopia, cerebri compreffione variaque laefione pendet.

§. 139. Caufae remotiores funt, capitis vulnera & ictus, ejusdem morbi chronici, collectiones ferofae, plethora, ebrietas iterata, opii ufus continuus, tabaci fumi abufus, ftudia affidua, labores protracti, animi pathemata, terror, inedia, venus nimis culta, quae femper memoriam debilitat, praefertim in fenibus.

§. 140. Caeterum memoria labitur non raro ante apoplexiae aliorum morborum nervoforum invafionem, aliquando fymptoma remanet poft affectum apoplecticum fuperatum. Sunt & praeterea, qui in morbo acuto omnem amifere memoriam, & ex doctiffimis antea, dein ftupidiffimi facti fuere litterarum elementorumque omnium prorfus ignari.

§. 141.

§. 141. In cura instituenda ad varietatem causae remotioris attendendum, quae igitur vitanda, emendanda vel omnino tollenda. Caeterum diaeta adornanda optima, eupepta analeptica, replens, vitatis cautissime carnibus porcinis, anatinis, anserinis, piscibus mollioribus, lacte, caseo, leguminibus flatulentis, alimentis durioribus, dyspeptis, somnoque longiori, praecipue diurno. Inter remedia laudantur moschus, cortex peruvianus, cubebae, cinamomum, salvia, betonica, rosmarinum.

Cap. XIX.
DE VISVS VITIIS.

§. 142.

Nobilissimus sensuum visus, cujus defectu vita ducitur miserrima mortique ipsi haud summopere praeferenda. Varios patitur manes, qui commode reduci possunt Io. ad caliginem seu visus obscurationem partialem vel totalem unius vel utriusque oculi per opacitatem vario modo ante pupillam. 2do. Ad amblyopiam seu visus ambiguitatem & depravationem nulla opacitate comparente sive in, extra aut circa oculum. 3tio. Ad caecitatem plenariam, quae opacitatem supponit, pone aut post pupillam in cataracta aut suffusione, nullam autem in amaurosi seu gutta serena.

§. 143.

§. 143. Caligo autem oriri poteſt a vario vitio palpebrarum, tunicarum bulbum oculi conſtituentium, quo acceſſus lucis ad oculos denegatur. Hinc pertinent ergo 1mo inflammationes, ſuppurationes palpebrarum, concretiones earumdem ad adnatam, conglutinationes interſe; muſculorum prolongatio & paralyſis; eorumdem ſpasmodica conſtrictio, tumores & excreſcentiae. 2do. Humores viſcoſi purulenti, pulvis, variola, albugo, cicatrix corneae, tumor & dilatatio caruncułae lacrymalis, ſtaphyloma, pannus. Verum enim vero de viſus depravatione a talibus cauſis hic non agitur.

§. 144. Amblyopiae autem dantur praecipue ſpecies ſequentes, viſus nocturnus, amblyopia meridiana, antiquorum Nyctalopia, neotericorum haemeralopia: ſic affecti melius noctu quam interdiu vident, noctuae & feles hoc vitio laborant naturaliter. Huic vitio contrarium eſt amblyopia nocturna, crepuscularis, viſus diurnus, antiquis haemeralopia, neotericis Nyctalopia, noctu praeſertim caecutiunt affecti. Affectus naturalis eſt gallinis, Amblyopia diſſitorum ſeu Myopia quo affectu, objecta remota reſpective ad viſum naturalem videri non poſſunt, propinqua vero videri poſſunt junioribus Myopia familiaris. Aliud vitium dicitur Amblyopia proximorum ſeu presbyopia, qua ad proximiora caecutitur, ſenilis eſt viſus & cataractae depreſſionem ſeu extractionem ſequitur ob lentis defectum.

§. 145.

§. 145. Plenaria vero visus abolitio gutta serena seu amaurosis est, dum nullum apparet vitium in oculo praeter pupillae nimiam dilatationem, quod Mydriasis dicitur, vel & ejusdem immobilitatem, dum sanus clauditur oculus. Vitium in lente detectum cataractam & suffusionem sistit. Aliquando unus laborat oculus in initio, non diu vero post alter eo quoque afficitur vitio, si obex ei non ponitur.

§. 146. Haec vitia varias agnoscunt causas proximas, quibus praepeditur lucis radiorum adventus ad retinam. Ab insensilitate retinae fit amaurosis & amblyopia nocturna. Nimiam e contra retinae sensilitatem arguit visus nocturnus, nec non lentis in medio opacitatem, dum ejus circumferentia seu margo lucem adhuc transmittit.

§. 147. Myopia remotiorem a retina supponit lentem, oculum oblongum humoribus nimis distentum, corneam nimis protuberantem, lentem convexam, unde Myopes juvantur a conspicillis concavis, juvenesque a naturali conformatione hoc vitio laborantes, circa senectutem melius vident, & absque conspicillorum adminiculo. Praeterea fit Myopia ab humoribus nimis densis sanguinisque congestione circa corpus ciliare, ejusque dilatatione, compressione super humorem vitreum, strictura musculi orbicularis.

§. 148. In Praesbyopia causae adsunt oppositae, bulbusque oculi planior est, inde juva-

men iis a conſpicillis convexis. In cataracta & ſuffuſione humor cryſtallinus denſus opacusque eſt, & quo ad conſiſtentiam mollior duriorve haec, cataracta matura & operationi apta, illa vero, immatura & depreſſioni inepta audit. Quo ad colorem eſt alba, cinerea, viridis nigra, idem vitium in humore vitreo glaucoma ſecundum HEISTERVM conſtituit.

§. 149. Non reticenda adhuc duo oculorum vitia, ſcilicet Strabismus & Luscities, quae ut plurimum connata ſunt vel ſaltem ab incunabulis malo habitu contracta. Luscus autem oblique videt uno tantum oculo; ſtrabo dicitur, cui axis utriusque oculi non eſt parallelus, unde inclinatis oculis & contortis ad ſe mutuo, vel remotis a ſe mutuo adſpicit.

§. 150. Variaque iterum & infinita ſunt fere remotiores, proximioribus hiſce cauſis originem praebentes, congeſtiones, metaſtaſes variae ad oculos, uti ſcabies, tinea, achores, podagra repulſa, ulcus nimis cito ſanatum, ſanguinis evacuationes, menſium praeſertim ſuppreſſae, ſudoris, coryzae ſuppreſſio ſubitanea, incongruus uſus topicorum repellentium in ophthalmia, gonorrhoea virulenta cohibita, ſalivatio mercurialis praemature ceſſans. Amauroſin vidi a lacte repulſo in puerperio, quam ſecuta fuit apoplexia lethalis, puellam novi amauroſi laborantem, quae excepit febrim putridam epidemicam.

§. 151.

§. 151. Caecitas etiam inducitur ab exostosibus venereis, puris sanguinis serive extravasatione circa orbitam cranii basin & cerebri ventriculos, aliisque vitiis post cerebri laesiones capitisque morbos relictis, tum & sympathica debilitate in toto systemate nervoso cacochymia, spirituum inopia per studia nimia, venerem immodicam, animi pathematibus, terrore, ira, nimia assiduaque ad lucernam lectione, diuturna objectorum minutissimorum aspectu, subitanea luminis irradiatione a tenebris exeunti.

§. 152. Omnis visus debilitas sensim augens perfectam demum inducit coecitatem. Non raro subito invadit, aliquando cephalea praecedit refractaria; coecutientibus saepius apparent muscae, flocci, araneae, scintillae variique colores, qui etiam saepius occurrunt febricitantibus, ophthalmicis, epiphora, phrenitide; convulsione laborantibus, hystericis & hypochondriacis, a mobilitate nervorum & humorum circa caput congestione. Cataracta alba, cinerea, interdum medicamentis, interdum chirurgica acu curatur, viridis & nigra medicamentis nunquam, chirurgia rarissime. Strabismus & Luscities incurabiles fere, nec multum refert nisi venustatis aut deformitatis causa, distincte enim vident & conspicillis propriis optime juvantur.

§. 153. Vitia oculorum omnia difficillime curantur, praesertim idiopathica. Symptomatica vero & Sympathica aliquando emendantur, causa

ſublata & amoto morbo primario; tentanda tamen ſunt varia, quae ab authoribus commendata habentur in idiopathicis, & primo in plethora univerſali vel topica ad caput, venae ſectiones celebrandae & quidem repetitae virium habita ratione, arteriotomia temporalis, hirudinum applicatio, emetica antimonialia dein exhibenda, purgantia validiora mercurialia ſaepius propinanda. Salivatio ipſa mercurii ope excitanda, veſicantia, ſetacea, fonticuli non omittenda, ut quocunque modo humores viscidi ſolvantur, revellantur, expellantur. Caeterum haud contemnenda ſunt decocta lignorum, florum Arnicae. Inter ſpecifica numerantur pulveres No. 8. quorum uſui interponenda interdum purgantia.

§. 154. Pro tono fibrarum augendo, nervoque optico ſtimulando laudatur vis electrica, vapor ſpiritus vini, lavandulae, quo manus fricatae ad oculos applicantur. Huic ſcopo commendatum quoque eſt Balneum vaporis ex aqua, in qua hepar coctum bovinum, valet & hic vividiſſimi luminis frequens in oculum ingreſſus. Sunt vero haec omnia ut plurimum inutilia & cataracta ocius citiusve formatur, quae ſi matura, manu periti chirurgi amovenda, ſive depreſſione ſive extractione, tuncque demum videndum, quid boni ſperandum a conſpicillorum uſu. Monendum autem, caecutientes ſive ante ſive poſt cataractae operationem, non debere oculos ad ſcribendum, legendum vel aliud opus frequenter intendere.



CAP. XX.

DE AVDITVS VITIIS.

§. 155.

Obſcura ſonorum perceptio Dyſecoia & Baryocoia & gravis auditus dicitur, aucta ſonorum perceptio, & quidem a minimo ſono, contrarius eſt affectus & oxycoia vocatur. Nulla vero ſonorum fortium quamvis perceptio, perfecta ſurditas & cophoſis eſt. Tinnitus aurium, ſuſurrus & bombus ſunt ſoni, quos aegri percipiunt, a nullo corpore ſonoro externo editi.

§. 156. Haec vitia debentur nervis acuſticis laeſis, membranae Tympani ruptae vel ulcere eroſae venereo ſc. oſſiculis auditus carioſis vel alio quocunque modo male affectis, canaliculis laberynthi obſtructis, praeterea tumores enati in, extra & circa aures, collectiones ſanguinis, puris, ſeri: tubae euſtachianae anguſtatio, glandularum tumores, & polypus faucium & ſimilia viam radiis ſonoribus ad partem mollem nervi acouſtici intercipiunt.

§. 157. Membranae tympani atonia, muſculorum oſſicula auditus moventium laxitas, vermes in meatu auditorio exiſtentes, cerumen induratum, corpora peregrina intruſa vel illapſa leviorem producunt affectum, cognitu atque cu-

 ratu

ratu faciliorem. Siccitas, tenſioque nimia, inflammatio & dolor tympani membranae, oxycoiae cauſa, ſpasmodica affectio, aër in cavitate tympani nimis motus, vaſa turgida & obſtructa in meatu auditorio, tinnitum ſuſurrumque producunt in hyſtericis nec non in affectibus catarrhalibus.

§. 158. Caeterum ſurditas datur a nativitate, quae & homines mutos reddit, arte Ammani de Pereyra tantum curandos. Si vero a velamine membranoſo, meatum auditorium tegente, arte chirurgica curari poſſunt, hoc enim amoto amovebitur pariter & ſurditas & mutitas. Datur etiam critica in morbis acutis & narium praeſagit haemorrhagiam, aliquando ſymptomatica eſt & delirium protendit. Interdum variorum morborum capitis, otalgiae & otitidis pediſſequa metaſtatica non raro a materia impetiginoſa ſcabioſa, repulſa; anno ultime elapſo adiit me conſilium petiturus quidam pro filio, qui omnimoda ſurditate conflictabatur poſt ſcarlatinam mali moris ſuperatam, & ut ex relatione videbatur a neglectis rite evacuantibus. Purgans mercuriale pro tempore praeſcripſi, animus erat veſicantia ad nucham applicare, nec non tentare electricam vim, hisceque vel fruſtra adhibitis ſalivationem inſtituere mercurialem: non rediit vero; poſt tertianam bilioſam ab immerſione in frigidam obſervata habetur, a ſpirituum paupertate frequens ſenioribus, debilioribus litteratisque.

§. 159.

§. 159. In vitiis auditus, quae non ab alio morbo praecipue tentanda sunt, sanguinis missiones in plethora, ex jugularibus, ex carotidibus externis, hirudinum applicatione pone aures, laxantia repetita, non raro emetica, vesicantia ad nucham, electricitas, tubus acusticus. Vermes, si qui adsunt in canali auditorio, oleo, aceto & spiritu vini injectis enecandi, alliciendi, cerumen induratum solutione saporis cum sale in aqua resolvendum. Corpora aliena instrumentorum ope extrahenda, membrana tympani nimis sicca, tensave, oleo amygdalarum dulcium, amararum, lacte cum croco, melle gossypio calide exceptis emollienda, humectanda; e contra autem humida aut laxa nimis suffimigio ex mastiche, olibano, labdano, gossypio cum grano moschi, camphorae, aliquotve guttulis spiritus lavandulae anatice aquae hungaricae mixti imbuto, auribusque immisso exsiccanda, demum et ptyalismus hydragirii ope excitandus.





Cap. XXI.

DE GVSTVS ET OLFACTVS VITIIS.

§. 160.

Commune hoc habent inter Olfactus & Gustus, quod rarissime seorsim laedantur, ob vicinitatem organorum hisce sensibus inservientium. Sunt & praeterea horum sensuum laesiones fere semper sympathicae, rarissime vel nunquam idiopathicae, ideo & simul pertractandae. Depravantur ergo, augentur, minuuntur & totaliter abolentur, quod ultimum si de sapore Agheustia, si de odore Anosmia vocatur.

§. 161. Depravatur ergo gustus a vitio salivae, acrimonia salina, biliosa praeditae: augetur, id est, fit dolorificus a nimia linguae sensilitate in ejusdem inflammatione, ulcere cancroso &c. imminuitur a saliva nimis viscida, in aphthis, in nervi gustatorii laesione, compressione, in ejusdem paralysi omnino aboletur.

§. 162. Olfactus perit vitio nervi olfactorii & membranae Schneiderii, laeditur & imminuitur in Coryza, depravatur & oblata inodora, suaviaque, quamvis foetent a vitio lymphae, ab ulcere

cere narium, quod ozaena audit, ossaque carie exedit spongiosa & tenuia valde, nec non a dentium corruptione, gingivarum putrida dissolutione in stomacace, scorbuto; ab ulcere pulmonum a cibis corruptis in ventriculo, a vermibus & in naribus & in ventriculo nidulantibus, a remediis mercurialibus & ptyalismo, quibus simul halitus foetet aegrotis ipsis & adstantibus non minus molestum. Solet etiam in febribus, sensorio communi affecto & gustus & olfactus perire vel depravari malo omine secundum HIPPOCRATIS effatum. De cura nihil est quod peculiariter addam. Cum causam habeant morbum primarium, quo sublato, tolluntur & ipsa. Obiter vero monendum, quod olfactus semel ammissus rarissime vel nunquam recuperatur, novi sic per totam vitam Anosmum, qui a vomica subito rupta & feliciter per os ejecta, pure gravissime foetente, olfactum amiserat.



CAP. XXII.

DE LAESA ET VITIATA CIBORUM CONCOCTIONE.

§. 163.

Vitia, quibus ventriculi functiones sive in fame excitanda, sive in cibis concoquendis sunt Anorexia, Apepsia, Dyspepsia, Bulimia, Pica &

 Malac-

Malaccia. Anorexia eſt appetitus in aſſumendis cibis omnino deletus, qui in minori gradu proſtratus ſeu imminutus eſt. Apepſia & Dyspepſia digeſtionem & ciborum concoctionem ſiſtit difficiliorem & cum Anorexia quoad cauſas & curationem convenit.

§. 164. Bulimia dicitur ciborum appetitus adeo auctus & moleſtus, ut absque animi defectione ferri haud poſſit. Orexys quoque vocatur & fames canina vel bovina aut lupina, in hiſce ingeſta cito per ſeceſſum expelluntur, in illa vero, brevi poſt ingeſtionem per vomitum rejiciuntur.

§. 165. Pica eſt affectus, quo abſurda, inuſitata, eſuique prorſus inepta, uti calx, carbo, creta, corium, pix liquida, haleces crudi, carnes tales, cineres, ſedimentum ſeu pulpamentum caſfée appetuntur, dum uſitatiores cibi faſtidiuntur, in Malaccia demum exquiſita vel ſaltem minus familiaria avide deſiderantur cum antipathia & averſione ad reliqua.

§. 166. Omnia haec vitia ſunt idiopathica vel ſympathica aut ſymptomatica & in genere arguunt ventriculi debilitatem et atoniam, motum periſtalticum inordinatum, perturbatum; ſpaſticas fibrarum contractiones, irritabilitatem & ſenſilitatem nervorum auctam vel imminutam, liquorem gaſtricum acriorem, copioſiorem, pituitae, ſaburrae, acidi, nidoroſi, alcalini putridi vermiumque praeſentiam.

§. 167.

§. 167. Causae remotiores quaerendae in inordinata victus ratione, ciborum quantitate excedente, evacuationibus nimiis, lactatione diu protracta, acrimonia quacunque ad ventriculum delata plethora, graviditate, excrementorum in intestinis accumulatione, tumoribus & vitiis viscerum abdominalium, abusu potuum aquosorum tepidorum, spirituosorum nimis; spirituum perturbatione, ut in dentientibus, moerore affectis, navigantibus, verbo, in omni morbo acuto seu chronico symptomatica est appetitus laesio.

§. 168. Digestionis & concoctionis laesione, ex ciborum abnormi sive qualitate, sive quantitate peccantium ingurgitatione laborantes queruntur depressione & pondere stomachi, ructibus amaris, putridis, acidisve, pro indolis corruptorum varietate, nausea & vomitu. Potatores & Bacchi alumni prae caeteris in anorexiam ab atonia ventriculi incidunt: nec non qui emeticis vel & remediis salinis, nitrosis, specioso titulo pulveris temperantis & praecipitantis abutuntur. Pica & Malaccia affectus sunt familiares infantibus, puellis, chloroticis & gravidis. Si ab exhaustis spiritibus vitalibus, uti in senibus & lactantibus diu, tarditas & lassitudo simul adest omnium membrorum, animique vigor & alacritas perit, nec famis percipitur stimulus.

§. 169. Inappetentia aliaque digestionis vitia ab alio morbo pendentia ut plurimum primario curato affectu cessant: quod si post morbum remanent, plerum-

plerumque recidivam praedicunt; ſi ab erroribus in diaeta, facile hiſce emendatis, remediisque idoneis datis ſuperatur. Caeterum ſi diu perſiſtunt, nutritionem depravant, deſtruunt, corporis emaciationem, extenuationem & conſumptionem inducunt.

§. 170. In genere autem curantur emetico, ubi adſunt nauſea, aliaque ſigna ſaburrae in primis viis, vel hisce abſentibus, cathartico ſalino amaro; ubi acidum peccat, magneſia alba cum rhabarbaro optima remedia roborandi demum ſcopo valent, cortex peruvianus, aquae minerales, pyromontanae ſpecifice tum & medicamenta No. 9. 10. 11. & 12. medicum praeſuppono doctum, acutum, qui pro re nata hanc vel illam praeferat formulam.

§. 171. In Bulimia, fame canina, quae vires ventriculi, ſenſilitatem & acrimoniam arguit auctas, conducunt oleoſa, pinguia, lacticinia, farinacea, piſa, fabae, lentes, amygdalae, chocolata in diaeta; nec non fumus tabaci. In caeteris vitiis digeſtionis, abſtinendum a fumo tabaci; vitentur quoque potus ſpirituoſi inebriantes, aquoſi tepidi, cibi duri flatulenti, grana piperis integra ſubinde deglutienda. Pro condimento commendantur ſemen ſinapi, corporis exercitium modicum quotidianum ante paſtum, frictiones ad regionem ſtomachi jejuno corpore hic non omittenda.

CAP.

CAP. XXIII.

DE IMPOTENTIA VIRILI ET STERILITATE.

§. 172.

Vitium a parte viri, quo denegatur in veneris militare caſtra, Anaphrodiſia audit, conſiſtitque in impotentia coeundi & generandi. Haec iterum in vitio ſeminis prolifici, illa ut plurimum in vitio Mentulae, quae vel non erigitur prorſus, vel ſperma ejaculare cum impetu haud valet.

§. 173. Virgae vitia varia ſunt & quidem connata vel acquiſita morbo, iterumque perſiſtentia aut tranſitoria. A nativitate, parva ac curta eſt ſuppellex, vitium irreparabile, curva ſaepe, praeputium nimis longum, quod & ab aliis cauſis, praecipueque morbis venereis etiam acquiritur & Phimoſis dicitur, quin & virga nimis longa coitui inepta refertur: vitium quidem, cui mederi licet annulo ex materia molli, ſubere ſc. cera obducto pollicem lato & Mentulae impoſito, ut tanto brevior reddatur. Praeputium nimis longum circumcidatur.

§. 174. Vitia acquiſita aut aſcititia frequentiora ſunt atonia & paralyſis muſculorum erectorum penis, vel & ſeminis copia minus ſufficiens,

uti

uti fit in ſenibus, diu jejunantibus, a morbo reconvalescentibus, venere immodica, aliaque evacuatione exhauſtis; moerore, animi cura, ſollicitudine, ſtudiove nimio defatigatis & in iis, qui remediis aeſtrum venereum temperare ſatagunt, nec non in abſtinentibus diu a coitu, uti qui teſtes habent ſcirrhoſos, induratos, aliaque vitia venerea, qui partes genitales mercurio inungunt.

§. 175. Cura tentanda in junioribus temperantia & abſtinentia a venere pro tempore, abſtinendo a nitroſis, camphora uti legitur:

Camphora per nares caſtrat odore mares

niſi forſan alius lateat ſenſus in hoc verſiculo, nempe quod ſaepius odorando camphoram priventur olfactus ſenſu, qui antea ſtrenui & mares erant odore. Stimulantibus caute utendo, qualia depraedicantur borax, opium, radix ſatyrionis, cantharidum applicatio ad lumbos, pollices pedum non ad bullarum ſeu veſicularum elevationem, ſed ad cutis rubedinem & ardorem tantum: uſus internus vero vix admittendus. Eidem ſcopo commendantur natium & lumborum flagellatio, ſunt enim, qui ad venerem nunquam accenduntur, niſi vapulent, nec illis pars illa, qua viri ſumus, niſi ad flagelli numeros ſonosque inſurgit. „In cuſſibus urticarum viridium in inguina „brevitatem haſtae virilis emendari virgamque „magnificari affirmatur.„ Caeterum in atonia Mentulae topice valent decoctum ſinapios pro balneo, ejusdem & teſticulorum frictio cum oleo

lavan-

lavandulae, elixirio vitae HOFFMANNI. Totius ſyſtematis nervoſi roborandi ſcopo optime conducunt cortex peruvianus, aquae martiales.

§. 176. In diaeta & victu laudantur lacticinia, ova, pulli gallinacei, horumque jura, chocolata & hic mihi in mentem venit hiſtoria non illepida, quae hujus potus vires commendat. Novi virum, inquit MUNDIUS, qui phthiſicus & pene deploratus ad chocolatae uſum ſe recepit, uxor etiam, ut viro complaceret, eandem bibit miro utriusque ſucceſſu. Nam vix brevi convaluit, mulierque prius effoeta habita ex eo gravida filios peperit tergeminos omnes vitales. Valet & potus vini generoſi ac dulcis hyſpanici aut hungarici.

§. 177. Sterilis autem vocatur foemina apta aetate cum viro ſtrenuo cohabitans, nec unquam inde concipiens. Poteſt hoc vitium originem habere in menſium emanſione, fluore albo, cachexia nimiaque mulieris obeſitate, & corpulentia. Praeter uteri, ovariorum, tubarumque FALLOPII vitia varia & multiplicia, tumores puta, concretiones, prolapſus &c. quae vel arte medica vel dextra chirurgi emendanda vel auferenda.

§. 178. Situs pronus a tergo accipiens marem, animalium in more prodeſſe poterit quoque foeminae euſarcae aut obeſae nimis.

Et quibus ipſa modis tractetur blanda voluptas

Id quoque permagni refert, nam more ferarum
Quadrupedum magis ritu, plerumque putantur
Concipere uxores, quia ſic loco ſumere poſſunt
Pectoribus poſitis ſublatis ſemina lumbis.



Cap. XXIV.

DE UVULAE, ANI ET UTERI PROCIDENTIA.

§. 179.

Uvula e palati extremo propendens relaxatur, elongaturque aliquando, ut deglutitionem ſatis difficilem, reſpirationemque minus commodam reddat. Quod vitium Latinis Uvulae elongatio, procidentia, Graecis vero Hypoſtaphyle audit.

§. 180. Si ſub foecum excretione anus retrahi non poteſt intra corpus, ani procidentia eſt ſeu exania. Uteri vagina quoque, ejusque fundus vel cum vel ſine inverſione, tumorem anularem vel farciminalem in ſinu muliebri vel extra pendentem formant; hoc vitium Hyſteroptoſis, illud colpoptoſis nuncupatur.

§. 181.

§. 181. Uvulae prolapſus frequens occurrit in affectibus catarrhoſis, pituitoſis. Exania familiaris eſt junioribus ex clamore, planctu, ſeſſione diuturniore in ſella perforata, teneſmo, aſcaridibus in ano ſtabulantibus; adultis quoque fit haud raro ex foecum difficiliore depoſitione, in alvo ſtrictiori, affectu haemorrhoidario, calculoſo, partuque difficiliori. Uteri vaginaeve prolapſus fit ex tuſſi, vomitu, ſternutatione, ſaltu, lapſu, brachiorum ſupra caput elevatione, ponderum ſupra vires ſublatione, fluore albo. Inverſio totalis uteri dyſtociam plerumque agnoſcit cauſam, unde raro virginibus morbus.

§. 182. Uvulae elongatio incommodum potius quam morbus non multum mali portendit, brevique vel ſponte vel arte ad ſtatum reducitur naturalem. Ani prolapſus quoque, ſi non a paralyſi ani elevatorum, ſponte fere cedit. Uteri autem procidentia, ſterilitatem, leucorrhoeam, menſiumque irregularitatem inducere poteſt; extra labia propendens inceſſum impedit & ad lotium reddendum frequentius ſtimulat; diu foras propendens periculum inflammationis omniumque ejus ſequelarum affert.

§. 183. Uteri prolapſu affectae in aere frigidiuſculo collocandae; repoſitio prolapſorum manibus tentanda, decubitu dorſali, clunibusque elevatis, adſtringentia topica per injectiones, fomenta No. 13. ſpongiae ope, ſuffimigationes ex olibano, myrrha, maſtiche roſis rubris exhibenda;

benda; tonica roborantia, aquae minerales, balnea, frigida, cortex peruvianus in usum vocanda. Pessariis ex subere cera obductis, rotundis, oblongis, vel alia forma donatis, reposita retinenda. Monendum tamen foeminas, quibus pessaria varia pro re nata adaptare commendavi, ferre haud potuisse, haecque brevi iterum abjecisse. Interdum impregnatio optimum remedium. Praecavetur facilior ani lapsus, si aeger stans exoneret alvum, elapsus aqua frigida, vel decocto adstringente per spongiam applicato reponitur, retineturque. In curatione uvulae elongatae requiruntur evacuantia, vesicantia, gargarismata ex aceto vel vino rubro aquae mixto frigida. Ultimum remedium est excisio, qua tamen rarissime si unquam egitur.



Cap. XXV.

DE HERNIIS.

§. 184.

Tumor cuti concolor ex visceribus mollibus illapsis manu reponibilis & in decubitu dorsali sponte ut plurimum recedens, indolens ex relaxatione ruptioneve integumentorum ortus Hernia dicitur. Ex hac definitione excluduntur Herniae spuriae dictae, quae ab humore hydrocelem, a materia carnosa, pinguedinosa, sarco-

ſarcocelen, a ſemine vaſa ſpermatica, epydidimum obſtruente, varicocelen & circocelen ſiſtunt; de hisce ergo alibi. Bronchocele quoque ex ſtrumarum genere eſt.

§. 185. Pro varietate partis, quam occupat, varia ſortitur nomina Hernia. Sic circa ſcrobiculum cordis & epigaſtrium Gaſtrocele, ad umbilicum omphalocele, in aliis locis abdominis per ſeparationem muſculorum, vulnere vel alia violentia factum, Laparocele, in ſuprema foemoris parte Merocele, in inguinis Bubonocele, in ſcroto oſcheocele, vocatur & quidem frequenter occurrunt. Rariores vero ſunt opodeocele foraminis ovalis, ischiocele ad fiſſuram oſſis ſacri & ischii, Colpocele vaginae uteri, Perinaeocele perinei, Encephalocele cerebri herniae. Peritonaeorexis eſt hernia e Peritonei ruptura.

§. 186. Hernia eſt ſimplex vel compoſita. Simplex, ſi unum viſcus, compoſita, ſi plura ſimul viſcera ſaccum intrant herniosum. Poſſunt enim intrare inteſtina tantum & tum enterocele, vel omentum ſolum & epiplooncele, vel demum utrumque ſimul & enteroepiplooncele audit.

§. 187. Hernia haud raro eſt congenita, ut plurimum vero acquiſita, interdumque hereditaria. Novi parentes hernioſos, qui genuere filios ſimili labe impreſſos. Hernia umbilicalis pueris ob crebros clamores, ejulatus; hydropicis obeſis ac foeminis gravidis familiaris valde. Facile

cile enim dilatatur annulus tendineus umbilici & musculorum abdominalium, unde & herniae inguinales satis frequentes iisdem.

§. 188. Caeterum omnes herniae & in adultis facilè producuntur a ponderum supra vires elevatione, corporis nixu majori, clamore, tussi, sternutatione, vomitu aliaque violentia, lapsu, equitatione, saltu, partu difficili, flatuum accumulatione, incarcerationeque, instrumentorum pnevmaticorum exercitio, urinae retentione, alimentorum pinguium oleosorum nimis abusu.

§. 189. Merocele in superiore foemoris parte, foeminis proprior est quam viris, iterum hi bubonocele potius afficiuntur. Cave tamen confundas cum bubone venereo. Hic enim sensim & paulatim insurgit tumor durus, dolens, renitens nec digitis cedens. Immobilis quidem in tussiente, atqui tumor bubonoceles concutitur; subito violentiam praegressam insequitur, mollis est & quidem mollior in epiplocele quam enterocele, quia flatibus vel stercore distentus. Murmur & strepitus percipitur, si repellere volumus & tumor omnis disparet pro tempore saltem; praeterea herniae tumor rotundior est quam Bubo, Bubo magis distat a pudendis quam Bubonocele.

§. 190. Hernia in pueris non difficile tollitur & sola adhibita vinctura vincitur; in adul-

tis

tis vinctura non tollit, sed levat morbum, ut absque periculo homo omnes actiones sibi proprias facere possit. In oscheocele, si prolapsa reponi aut repelli non possint, multum levantur aegri a ligamento suspensorio apud chirurgos dicto.

§. 191. Morbus fit saepius periculosissimus inflammatorius, cum vomitu, singultu, haud raro gangraena & morte terminandus ab hernia incarcerata, quae manu si possibile reponenda in decubitu supino, si ischiocelen exceptare velis, quae pronum requirit decubitum ad sui repositionem. Alvus sollicitanda clysteribus ex tabaco, tumor fovendus, si adest inflammatio cataplasmate emolliente, oleosis. Si nulla inflammatio, aquae frigidae applicatione, & si nulla gangraenae suspicio aut nota, celotomia dextra chirurgi instituenda, si nullo alio modo repositio possibilis. Atqui de operatione, perizomate adaptando post felicem operationem, aliisque fasciis, scriptores chirurgi consulendi. Herniosi in diaeta vitent pinguia, oleosa, lacticinia, utantur vino rubro in potu cum spiritus salis dulcis pauco, e cujus continuo usu hernias sanatas ferunt.





Cap. XXVI.

DE AQVIS MINERALIBVS.

§. 192.

Cum in hoc faſciculo ſaepius mentio injecta ſit de aquis mineralibus, utpote quae maximi uſus ſunt in morbis a debilitate oriundis, operae pretium mihi videtur, ſpecialius de iisdem ſingulari agere capite, quo modus adminiſtrandi harumque uſus medico innoteſcat clinico. Non enim potandae ſunt ex uſu aut imitatione ingurgitandae lagenulae aquarum quotidie, cum male adminiſtratae pro ſalute morbum afferre valeant. De thermis ſeu fontibus calidis vero hic non eſt ſermo, cum noſtrae non iis gaudeant orae, nec bibi poſſunt, niſi ad ipſam ſcaturiginem. Scripſere de hisce quidem Hoffmannvs, Seip, Springfeld, Bergervs, Zvkert & alii. Neque eſt quod ſpectes me de mineralium natura ſeu partibus conſtituentibus per analyſim chemicam acturum, ſed tantum de harum indole & virtute medica, quatenus in potu uſurpantur ad morbos nervoſos curandos, uti & de diaeta aquas potantibus neceſſaria.

§. 193. Alma rerum Natura provida de hominum ſalute liberaliter prorumpere fecit ubique terra-

terrarum, in Germania praesertim fontes salubres, quorum potu ad miraculum fere plurimi morbi ad omnia medicamenta pharmaceutica prorsus insanabiles curantur. Quot gratias non debemus adorando Soteri ob aquas soterias sic dictas? Dicuntur etiam aquae medicatae ob medicas virtutes in corpore humano, Minerales quoque audiunt vel quia ut mineralia in terrae abditis reconditae, vel quia sulphureas, vitriolicas & ferreas continere particulas habitae. Specialius vero chalybeatae, martiales vocantur utpote prae caeteris, ferreis particulis abundantes, demum & acidulae nuncupantur ob acidum, quod in eis latere credebant, perperam equidem, dantur enim magno cum fructu. In morbis ab acido & optimum ineunt connubium cum lacte, Hofmanno & experientia teste, quod inde non coagulatur, praeterea effervescunt cum vino rhenano aliove acido.

§. 194. Gas autem illud Helmontianvm seu spiritus aethereus, quem spirant minerales, neque est acidum, neque ammoniacale, uti quibusdam visum, sed alcalinum cum ne vestigium salis vitriolici in eis lateat, experimenta Hoffmanno instituente, sapore tamen ut plurimum gaudent acidulo salino. Minerales vero purgantes, uti Seidlicenses, amaro praeditae sunt sapore.

§. 195. A scaturigine remotae alibique transportatae multum amittunt saporis & odoris ergo & virtutis.

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae.

Quo

Quo enim plus aethereo illo tenuiſſimo elemento perfuſae, eo praeſtantiores & in medendo longe efficaciſſimae. Atqui non omnibus licet adire Corinthum, ideo & domi & in patria cum fructu aquis conceditur uti, ad ignem quoque excalefactae & odorem & ſaporem amittunt, vixque ab aqua communi differunt, ergo frigidae potius potandae. Poſſunt tamen in tempeſtate humida & frigida, temperamentoque debiliori, lagenulae medicatis aquis repletae & probe obturatae, ferventi & ebullienti aquae aliquandiu immitti, ne libero aëris acceſſui patentes principium ſubtiliſſimum evaporetur, lac etiam calidum addere licet.

§. 196. Nota bonitatis ſunt copioſiſſimae bullulae ad ſuperiora vitri collectae, atqui quod de communi aqua dixerat Hippocrates certiſſime valet de medicatis, ſc. aquae multum inter ſe differunt & guſtu & pondere & ſtatione & virtute aliae aliis praeſtant. Sic ſpiritu illo activo pollent Pyromontanae, Egranae, Spadanae, ſuccedunt Selteranae, operantur praecipue per ſeceſſum & urinas; Pyromontanae & Egranae crebrius alvum movent, Spadanae & Selteranae urinas potius cient.

§. 197. Virtutes generales medicatarum, viscida attenuare, acria emendare, impacta reſolvere, obſtructiones reſerare, ideo in infarctis viſceribus tanti uſus. Cave tamen, ne viſcera ſint ſcirrhoſa exulceratave. Calorem quoque augent, cupiditatem ciborum excitant, pulſuum ictus velocio-

lociores reddunt & faciem vivido ſuffundunt colore, inde nocent hecticis, emaciatis phthiſicis non tantum deploratis.

§. 198. Speciatim vero conducunt in morbis capitis ſympathicis, vertigine puta a ſtomachi vitio, cephalea, morbis chronicis, melancholia, mania, epilepſia, memoriae lapſu, viſus hebetudine, auditus vitiis. In apoplecticis vero & capitis affectibus idiopathicis nocent.

§. 199. Proſunt in morbis pectoris, asthmate, tuſſi chronica & nervoſa haemoptoë prius cohibita; cordis palpitatione, phthiſi incipiente, febri hectica haud comite, nocent vero in aſthmate convulſivo, hydrothorace, ulcere pulmonum vetuſto.

§. 200. Commendantur in affectibus infimi ventris, acido primarum viarum, colicis, ventriculi & appetitus vitiis, diarrhoeis, hepatis lienisque obſtructionibus, chloroſi, nimia obeſitate, ictero, affectibus renalibus, calculoſis, viarumque urinariarum morbis, in quibus ſpadanae prae cæteris extollit ab Heer. Menſium fluxum nimium quovis alio medicamento felicius ſiſtunt, eosdemque promovent, dum debilitas ſubinde utriusque pathematis cauſa: valent & in Leucorrhoea, hyſterica paſſione, ſterilitateque non ſatis tuto vero exhibentur in colicis aliisve affectibus convulſivis.

§. 201. In morbis articulorum, rheumatismo, arthritide, podagra, ischiade nervoſa extra paro-

xysmum conducunt, in paralyſi etiam, morbis cutis pruriginoſis febribusque intermittentibus refractariis, ſub ipſa febri ab iisdem abſtinendum, ſanguinis enim motum nimis augent.

§. 202. Ad anni tempus quoque ſpectandum in uſu acidularum & praecipue potari poſſunt a vere usque ad initium autumni, neque prorſus & hyeme & autumno interdici debent pro re nata. Tempus diei matutinum optimum duabus vel tribus horis poſt ſolis exortum, dum corpus moveri poteſt leni ambulatione non ad ſudorem continuata in aere tepido. Aeſtivo tempore dum noctes quoque calidae ſunt, etiam tunc temporis concedi poſſunt. Semper vero in coena, unum alterumve poculum conceditur cum vino rhenano ad ſitim fallendam.

§. 203. Praecedenda vero ſunt ante uſum medicatarum venae ſectio, in plethoricis, dein purgans ſalinum ut primae viae a ſordibus depurentur. Sic quoque via conceditur liberior aquae ingreſſurae; quin & emetico opus aliquando, ubi nauſea, preſſiones circa praecordia, ſapor amarus & faſtidium.

§. 204. Quantitatem aquae potandae quod attinet, primis diebus ad libram unam, ſenſimque aſcendendo ut paucorum dierum numero ad libras quatuor potentur; quae diverſis poculis, hauſtibusve duarum horarum ſpatio hauriendae; iisdem inſiſtendum in tertiam ſeptimanam, iterumque

rumque paulatim per tot ſeptimanas deſcendendo ad priorem quantitatem & menſuram.

§. 205. Sub uſu aquarum ut plurimum alvus ſolvitur quotidie, quod ſi obſtipetur uno alterove die, ſal catharticum ad unciam dimidiam, vel rhei optimi parvum cochlear ad primum aquae hauſtum exhibendum. Quod ſi diarrhoea ſuboriatur, hauſtu aquae cinamomi cum liquore anodino minerali, vel & aliquot guttulis laudani liquidi ſiſtenda venit. Vomitus incidens ſub uſu aquarum non multum mali affert, ructus & hypochondriorum inflatio ſtomachicis, tonicis, carminativis diſcutiendi. Menſibus erumpentibus, ab uſu aquarum deſiſtendum, primis ſaltem diebus.

§. 206. Diaeta nequaquam negligenda aquarum potatoribus, circa meridiem autem frugaliter prandeant, veſpere ad coenam mature properent modicam. Nocent in victu tenacia, ſicca, infumata, ſalita, pinguia nimis, carnes animalium ſeniorum, porcina, anſerina, anatina, piſces molliores, ſicci duriores, indeque anguillae, carpiones, cyprini lati, haleces quocunque modo paratae, fructuum abuſus, melones, cucumeres, braſſicae virides, piſa vetuſtiora, fabae, lentes, lacticinia, farinacea, pultacea, caſeus, ova duriora, acetaria, aromatica.

§. 207. Proſunt eupepta, carnes juniores, bovina, vitulina, agnina, gallinacea, columbae, aviculae minores, piſces teneriores, luſcius, perca, jura carnium cum oleribus, radicibus petroſe-

 lini,

lini, apii incoctis: decocta avenacea, hordeacea, poma & pruma cocta, ſpinachia, aſparagus, faſeoli, piſa juniora viridia, panis biscoctus in prandio, potetur vinum rhenanum, potus caffée aut theae cum lacte haud denegandus in jentaculo.

§. 208. Aquae amarae, purgantes Seidlicenſes ſcilicet optime aſſumuntur vere & autumno ſive prophylactice ſive curative purgandi ſcopo in omnibus affectibus, quibus valent caeterae medicatae, per tres aut quatuor dies inſequentes diluculo ad aliquot uncias debitis intervallis, interpoſitisque theae hauſtibus aliquot. Poteſtque repeti harum uſus ad tertiam, quartamve vicem eodem modo, abſtinendo aliquot dies intermedios, quae omnia ſive ad delectum, ſive ad methodum utendi aquis ſpectent, ad nutum prudentiſſimi exercitatiſſimi medici dirigenda.



FOR-

FORMVLAE MEDICINALES.

No. 1.

℞. *Fol. S. S. ſt.* drachm. VI.
Coq. in *aq. font.* ad unc. IV.
Col. add.
Tartar. emetic. gr. II.
Sal. cathartic. angl. unc. ſemis.
Oxymell. ſcill. unc. I.
M. d. S. omni hora cochl. majus.

No. 2.

℞. *Confect. Hamech.* drachm. VI.
Fol. tabac. drachm. II.
Coq. in *aq. fontan.* ad unc. VIII.
Col. add.
Sal. gemm. drachm. III.
Sapon. nigr. unc. ſemis,
F. clysma acre.

No. 3.

℞. *Rad. hellebor. alb.* ſcrup. I.
pyrethr. gr. X.
Fol. mayoran. ſcrup. I.
tabac. drachm. I.

Piper. nigr.

Caſtor. ana gr. V.

M. f. pulv. Sternutatorius in Apoplexia ſeroſa.

No. 4.

℞. *Aſſ. foetid.* drachm. II.

Gumm. ammon dep.

Sagapen. ana drachm. I.

Extract. aloës gummos. drachm. II.

Ol. Sabin. q. ſ. f. L. A. pil. gr. III.

Singulae quarum cap. IV. ter de die.

No. 5.

℞. *Unguent. nervin.* unc. II.

Sp. Lavand. compos. drachm. III.

Sal. ammon. drachm. II.

Ol. cajaput. gt. X.

M. f. linimentum pro partibus paralyticis inungendis.

No. 6.

℞. *Rad. Lingib.*

Galang.

Pyrethr. ana unc. ſemis.

Semin. Sinap. drachm. II.

Coq. in *aq. fontan.* q. ſ. cum tert. part. vin.

Col. add.

Sal volatil. oleoſ. gr. XV.

M. f. gargariſma.

No.

No. 7.

℞. *Rasur. Lign. Quass.* drachm. II.
Fol. S. S. st. unc. semis.
Coq. in *aq. fontan.* ad unc. VI.
Col. add.
Syr. s. rad. unc. I.
Sal. Seidlicens. unc. semis.
M. omni bihorio cochlear majus.

No. 8.

℞. *Milleped. pp.* gr. X.
Extract. hyoscyami alb. gr. dimid.
Mercur. d. gr. I.
Sacchar. albiss. scrup. semis.
M. f. pulv. ter de die capiendus.

No. 9.

℞. *Essent. Lign. Quass.* drachm. VI.
Elix. visceral. Hoffm. drach. II.
M. cap. quater de die gt. 60. in vehiculo aquoso.

No. 10.

℞. *Essent. absynth. comp.* drach. VI.
Elix. Vitriol. Myns. drachm. II.
Eodem modo ac praecedens.

No. 11.

℞. *Tinct. Mart. Lud.* unc. I.
Ol. Tart. p. d. drachm. I.
M. uti praecedentia.

No.

No. 12.

℞. Lunat. *Mart. recent.* gr. III.
Eleossach. cinam. ſcrup. I.
M. f. pulv. bis de die ſumendus.

No. 13.

℞. *Rad. Tormentill.* unc. ſemis.
Cort. granator. drachm. I.
Fol. plantag. Pug. II.
Coq. in *aq. fontan.* libr. I. & ſemis ad remanent. libr. 1.
Colat, dein add.
Alumin. rup. ſcrup. I.
M. pro injectione aut fomento ſpongia adhibendo.

